

Y,24

Frag. 234

DISSERTATIO IVRIDICA
DE PVBLICA
REI LIBRARIAE
CVRA,
IMPRIMIS LIPSIENSI.

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT,
IVRIS SAXON. PROF. PVBL. ORDIN. ICTORVM ORDINIS
ASSESSORE, ET COLLEGII MINOR. PRINCIP.
SODALI,

CALENDIS OCTOBRIS A. O. R. CICIOCCLXXVIII.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

ERNESTVS GUILIELMVS KÜSTNERVS
LIPSIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMII.





V I R O
MAGNIFICO SVMME REVERENDO
ATQVE ILLVSTRI
D. CHRISTIANO GVILIELMO
KÜSTNERO.

DYNASTAE IN PAVNSDORFF,
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS
INTIMO IN REBUS FISCI CONSILIARIO, CAPITVLI
WVRZENSIS DECANO, SUPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAEC, CONSISTORII ECCLESIASTICI, ET SCABINORVM
COLLEGII ASSESSORI, CIVITATIS LIPSIENSIS
CONSULI PRIMARIO,

PARENTI VENERANDO

D. D. D.

F I L I V S
ERNESTVS GVILIELMV

A 170

MAGNITUDINE SUMMI RERUM IN EINDO

ATQUE IN TERRA

D. C. CHIENAM GAIETIMO

L 170

DUAKYATZ MIRKANISDOR

GERMANIA SAXONIA POLONIA

BOHEMIA HUNGARIA SLOVACIA

TRANSILVANIA MOLDAVIA BUCOVINA

CARAVIA ROMANIA MOLDAVIA

SCOTIA BRITANNIA Hibernia

ALBANIA Dalmatia ILLIRIA

ITALIA AUSTRIA SPANIENS

PORTUGAL GALLIA FRANCIA

GERMANY SWITZERLAND

NETHERLANDS BELGIUM

SCANDINAVIA DANMARK NORWEGIA

ESTONIA LITHUANIA LATVIA

ARMENIA GEORGIA AZERBAIJAN

IRAN TURKEY SYRIA

PERSIA IRANIA TURKIA

EGYPT ALEXANDRIA CAIRO

LIBYA TUNISIA ALGERIA

MOROCCO CASABLANCA

MAURITANIA TUBA

ALGERIA TUNISIA

LIBYA TUNISIA



PATER OMNI PIETATIS CVLTV
DEVENERANDE

Cum a teneris inde annis tot tantaque indul-
gentiae amorisque in me **TUI** vere paterni
documenta mibi exhibueris, ut, si a Deo
discesserim, omnia vitae meae et adiumenta et ornamen-
ta **TUI** soli debeam, gestiit sane iam dudum mens
mea luculentis illis beneficiis **TUI** obstricta, eorum-

que praestantia vehementer commota, hanc paternam
TVAM in me benignitatem publico quodam testimonio
conspicuam reddere, ut non solum aliis, quanta sit bene-
ficiorum in me TVORVM copia, declararem, verum
etiam TIBI, CARISSIME PATER, imprimis de-
centissimas gratias, cum re ipsa satis referre numquam
sufficiam, verbis saltem agerem. Nactus itaque hanc,
quae mihi se iam obtulit, opportunitatem, non potui
michi temperare, quin summa laetitia affectus ad hoc pie-
tatis, qua TE colo ac veneror, officium TIBI prae-
standum accederem, simulque offerendo hoc qualicunque
libello meo, studiorum meorum rationem TIBI, uti
PATRI INDVLGENTISSIMO, ita doctrinae
elegantissimo arbitro, reddere sustinerem; a quo qui-
dem consilio me adeo non aut ingenit mei tenuitas, aut
dicendi imperitia, aut subtilissimi TVI iudicii cogita-
tio deterrere vel plane auocare potuerunt, ut potius
paternus TVVS in me animus omnem plane metum
me

me deponere iubaret, TEque hanc meae in TE pietatis testificandae rationem beneuole esse excepturum, certissime sponderet. Accipe itaque, INDVLGENTISSIONE PATER, serena fronte, vna cum obstrictissimis gratiis pro indefessa TVA in me educando cura, omnibusque summi erga me TVI fauoris signis, hunc libellum, quem, de publica rei librariae cura, imprimis Lipsiensi, conscripsi, tamquam certissimum meae in TE obseruantiae pignus, ac patere, vt, cum nec doctrinae subtilitate nec sermonis elegantia se tenuis hic libellus commendet, ab ILLVSTRIS Nominis TVI inscriptione commendationem quandam ei conciliem. Caeterum immortale, quod cuncta moderatur, Numen supplex oro atque pie precor, velit TE, VENERANDE PARENTS, saluum et incolumen omnique honorum genere florentissimum atque cumulatissimum conservare, vt TVORVM, quibus splendes, meritorum fructus vberrimos ac perpetuos capias. Largiatur

tur TIBI ad seram usque aetatem et corporis et ani-
mi vires, ut grauissimis TVIS muneribus per lon-
gam annorum seriem adhuc fungi, patriam nostram
atque literas ornare, hancque praesertim ciuitatem
prudentissimis TVIS consiliis regere, mihi denique
omnibusque TVIS diutissime praesidio ac solatio esse
possis. Ego vero quemadmodum impense laetabor, si di-
vina prouidentia his enixissimis precibus meis locum de-
derit, ita omni studio enitar, ut et obsequii pietate,
et morum probitate, et diligentiae denique assiduitate
me paterna TVA cura in dies digniorem reddam.
Scripsi Lipsiae Cal. Octobr. CICICCLXXVIII.

PROOEMIVM.



PROOEMIVM.



Cum semper in animo habuerim, et valde optaverim, vt, si vnquam occasio de aliqua iurisscientiae parte scribendi mihi eueniret, materiam, quae in primis iura et instituta ciuitatis nostrae Lipsiensis illustraret, exponere possem, nunc postulante studiorum ratione, obseruantiaque recepta ductus, hac differendi opportunitate vti, prorsis non longe dubitauis, sed eam potius statim summo cum studio ac voluptate arripui.

A

Inter

=====

Inter instituta particularia, quibus Lipsia gaudet, *publica rei librariae cura* in primis caput extollit, cum haec largissima et amplissima utilitate, quam librorum negotio in vniuersum, ideoque toti Romano Germanico Imperio, et integris, ubi doctrina, bonarumque artium studia florent, extra Germaniam prouincias praebet, magna cum laude fese commendet, tum etiam vetustate, summa auctoritate, atque praecipuis commodis, quae et rei librariae, et omnibus literarum cultoribus offert, omnia, quae eadem de re quibusdam aliis locis obseruantur, longe lateque supereret. Quae cum ita sint, *publicam rei librariae Lipsiensis curam* in hoc libello commemorandi consilium cepi, eamque iunctis his, quae in vniuersum hac de re adiicienda videntur, in quantum imbecillitas aetatis iuuenilis permittat, accurate proponere conatus sum; praesertim cum, quanto equidem scio, amplissimam hanc materiam nemo ha-ctenus singulare scripto elaborauerit, sed hac de re breuiter dicta, variis in doctorum scriptis sparsa, tantum occulte lateant.

Argumentum vero nostrum, licet speciale et rei literariae Lipsiensi solummodo prodeesse, videri possit, amplissimum habere usum, maximamque profecto praese ferre utilitatem, statim elucebit, simulac perpendaris, quantum res libraria Lipsiensis vniuerso librorum commercio Germanico conducat, quotque fructus vberrimi et emolumenta innumerabilia ex illa in hoc redundant. Quid vero tam arctum nexum inter vniuersam et urbis nostrae mercaturam librariam, quallem vere conspicimus, conciliet, quidque tam praedicta, quae inter se minus capiant, commoda efficiat, paucis enarrare nostrum nunc est.

Primum hic bibliopolarum nundinae commemorandae, in quibus a bibliopolis ducentis plus, Lipsiae conuenientibus, maxima librorum in Germania negotia peraguntur. Cum autem nostris temporibus copia librorum tantopere creuerit, ut in

in vna Germania, quatuor millia septingenta et nouem scripta, tribus modo annis confecta, typisque impressa numerantur,^{a)} ideoque catalogus eorum, qui singulis nundinis in lucem prodit, olim nonnullas plagulas, nunc integrum volumen impleret, facile colliges, quot millia librorum his nundinis tum a Germanicis, tum exteris, et magni nominis et parvae conditionis bibliopolis emuntur, venduntur atque permutantur. Non ne nundinae hae Lipsienses in genere mercaturae librariae eximii vsui sunt, cum plura librorum millia tum in Germania, tum extra illam prelis exaratorum, qui alias tabernis librariis per multos annos inclusi, nunquam lucem publicam conspexissent, hac vendendi ratione paucis diebus eruditis ad cognoscendum se offerant, atque per totam Germaniam aliasque provincias disseminati, in omnium oculos incurant?

Secundo silentio non praetereunda conspicua librorum negotia, perque Europam fere vniuersam late diffusa, bibliopolarum Lipsiensium, quorum omnino copia,^{b)} librariorum in quacunque alia Germaniae vrbe viuentium numerum valde vincit. Hanc quoque partem dictae mercaturae, communis in primis rei librariae maxime prodeesse, ac distractionem admodum salutarem comparare, experientia docet, quia libri pene omnis generis, omniumque terrarum, rarissimi nonnunquam, in officinis librariis Lipsiensibus inueniuntur, ac haud iniusto pretio venduntur.

A 2

Nec

a) vid. *Io. Chrpb. GATTERERI historisches Journal*, Goett. 1772. 8. 1 Th.
p. 266. seqq.

b) Lipsia XXI. bibliopolis propriis nunc gaudet, in quibus quotidie libri venditantur, exceptis typographis, qui haud raro suis sumtibus libros imprimere curant.



Nec minus tertio denique magnam hic laudem merentur officinae in vrbe nostra typographicae, ^{c)} propterea quod in iis librorum, qui sumtibus librariorum aliarum prouinciarum excuduntur, maxima copia inprimitur, et ab iis, ad nundinas Lipsienses proficiscentibus, magno cum compendio sumtuum vecturae acquiritur. Ex qua quidem re librorum commercium integrum fructus percipit vberrimos, quia hac ratione efficitur, vt pretium plurimorum librorum exterorum maxime minuatur, et quisque librum magni molis admodum bene emere possit.

His expositis ad tractationem ipsam nos accingimus, si antea instituti rationem enarrauerimus. Cum autem caufa nostra nec accurate doceri, nec bene intelligi possit, nisi de publica rei librariae cura, principia quaedam, partim iuris naturalis rerum publicarum et politices, partim iurium et institutorum, quae hac de re in Imperio Germanico, aequae ac in Saxonia Electorali recepta sunt, paucis tantum, et quoad consilium huius libelli necessario spectant, praemiserimus; eam ob rem prima sectione: *de publica rei librariae cura in uniuersum*, secunda: *de publica rei librariae cura in Germania, pariter ac in Saxonia Electorali*, denique tertia: *de publica rei librariae cura, quae floret Lipsiae*, scribendum nobis erit.

^{c)} Quorum XIII. Lipsia habet.

SECTIO

SECTIO I.

DE PVBLICA REI LIBRARIAE CVRA IN VNIVERSVM.

§. I.

Definitio, et cui competit publica rei librariae cura.

Quo quis ciuis muneri, cuius partes in se suscepit, studiosius satisfacere tenetur, ac

*Vigilare decet hominem
Qui vult sua tempori confidere officia,*

eo magis, qui ciuib⁹ imperat princeps, omnia negotia et actiones, quae quocunque modo ad salutem rei publicae attinent, diligenter regere, easque legibus ac publicis institutis ita ordinare, grauitate et auctoritate muneris cogitur, vt non solum non felicitas ac prospera rei publicae conditio, quantum fieri potest, conserueretur et augeatur, sed etiam omnia incommoda prudenter auertantur, semperque a malorum vi incolume stet imperium. Quia autem imperii flos, vt in omnibus mercaturaे ramis, ita etiam in re libraria bene ordinata magnopere cernitur, eius curam boni principis officio contineri nemo dubitat. At praecipua incrementa et damna, quae ex re libraria in ipsam rei publicae naturam redundant, nunc breuitate adhibita demonstrare luet, vt inde appareat, quanta cura, quantoque studio, a principe optima hic conditio sit semper quaerenda.

Non ne primum, quod quidem ex mea sententia caput rei videtur, per multas regiones, libris et scriptis proficuis ac vtilibus, doctrina ceteraque bonarum artium studia valde promouentur, religio et pietas alitur, atque virtutes egregiae,

A 3

lau-

6

laudesque inter ciues longe lateque producuntur? cum interea alibi, vel libris noxiis et lectione indignis, vel inopia librorum, ignorantia cruda in omnibus scientiae partibus, ac summa in literis barbaries semper crescit, superstitione et vita seclerata inflammatur, atque virtus abominanda, facinoraque inter incolas magis magisque periuaguntur.

Nec minus roboris commercia ciuitatis vniuersa, mercatura librorum, iisque operis, quae huc pertinent, uti ars typographorum, chalcographorum, bibliopegorum, chartarum papyracearum confectorum, aliorumque accipiunt. In quo autem imperio bonarum artium studia florescant, atque commercia quotidie augescunt, hoc bene ordinatum, et admodum felix fortunatumque imperium esse, omnes consentiunt. Quodsi vero ex his constet, curam circa rem librariam imperio ciuii praecipue subesse, hoc autem, quod neminem fugit, praeter Imperantem, eiusque Collegia, magistratu inferiori quoque competere, (quoad vel instituta loci hoc omnino iubent,*) vel ei tamquam priuilegium a principe concessum sit,) sequitur, ad principem regni, et sub eo solum ad magistratum cuiuscunque loci, uti iam dictum est, eadem ratione sine dubio pertinere officium et ius, supremam rei librariae curam exercendi, cunctaque hac in re administrandi. *In tali igitur prudenti et sapienti rei librariae omniumque rerum eam concernentium administratione, consistit: Publica rei librariae cura; Principis autem supremum ius hac videnti dicitur: Regale ius circa libros,* quod quidem primum, inuenta arte typographica praecipue se exseruit, et, uti res libraria in vniuersum nostra, ut nunc est, ex inuentione artis typographiae originem duxit;

quam-

*) Vti quidem in Germania administratio politiae in pluribus locis, magistratu ciuii simul concessa est, nisi quibusdam in oppidis (v. e. Dresdae, Berolini &c.) singularia, in rebus ad politiam tendentibus, instituta obtineant.

quamobrem primas leges rem librariam stringentes sub initium seculi XVI. conspicimus.

§. II.

Eius ambitus et partes.

Duplici igitur, ut dictum est, modo res libraria ad communem reipublicae salutem tendit, nempe quoad damnum, quod exinde oriri, et quoad lucrum, quod ex ea ciuitas capere potest. Propterea quoque *publica huius rei tutela* versatur partim *circa evitanda damna, ex rei librariae abusu obuenientia*, partim *circa augenda commoda reipublicae per rem librariam*; atque haec nobis nunc diiudicanda sunt.

§. III.

Incommoda, quae rei librariae abusum sequuntur.

Abusus librorum locum inuenit praesertim in librī reipublicae damnosis, quorumque promulgatio et diffusio iustitiae, aequitati ac prudentiae valde contradicit.^{a)} Hos libros noxios cum Vlpiano^{b)} improbatae lectionis dicimus, quorum catalogum hic annexare necessarium videtur. In primis itaque hic referuntur: libri religionem Christianam oppugnantes, quales sunt haereticī et magici, deinde libri iuri bus, commodis et felicitati reipublicae contrarii, cuiusmodi libri seditiosi, et arcana reipublicae prodentes, nec minus de niique libri bonis moribus, et virtutis cultui contradictentes, quo famosi, calumniosi, scurriles, obsceni et qui sunt alii hu-
ius

^{a)} vid. I. H. BOEHMERI *Ius Eccles. Profest. T. IV. Lib. V. tit. VII. §. LXXXIV. seqq. EIVSD. Diff. de iure circa libros improbatae lectio nis, 1726. 4. cap. I. §. XIII.*

^{b)} *L. 4. §. 1. D. fam. ercifc.*



ius generis, pertinent. Quo autem omnibus fere talium futilium scriptorum sordibus, licet eorum promulgationem partim religio Christiana, partim ratio, qua natura exornat homines, quam maxime prohibeant, seculum nostrum admodum serenum copiosius abundat, et numerus libellorum, quos infinita multitudine miserrima nunc vbiique ingenia parunt, in dies magis magisque crescit; eo maiorem curam et studium magistratus omnesque, qui suprema in prouincia tutela gaudent, adhibere debent, ne talia noxia opera typis inprimantur, ac iam impressa nulla ratione diuulgantur, sed eorum promulgatio quoquaque modo et labore retineatur. Quamobrem in sequentibus iam de mediis, quibus horum scriptorum impressio, ac iam impressorum distractio cauenda sit, sermonem faciamus.

§. IV.

Quomodo impressio librorum noxiorum impediatur, in primis per censuram.

Praeclara vero typographiae ars, omnis eruditionis mater tanta praestantia, virtute, ac meritis in rem literariam instructa conspicitur, vt eam laudibus hic satis ornate et comode efferre, superuacuum foret, praesertim cum *Mich. MAITTAIRE*,^{a)} *Prosp. MARCHAND*,^{b)} *Gerh. MEERMANNVS*^{c)} aliquique, rei huius peritissimi, hac prouincia ante me tam egregie functi sint, vt vires ingenii mei tenues ab hoc consilio me prorsus repellant. In tanta igitur rei utilitate ab omnibus

a) in *Annalibus Typographicis*, Hag. Com. 1719. Tom. V. 4.


b) dans *l'Histoire de l'origine & des premiers progrès de l'imprimerie*, à la Haye. 1740. 4.

c) in *Origin. Typographic.* 1765. 4.

= = = = =

bus profecto maximopere dolendum, quod abusus^{d)} tam
insignem huius artis usum aequet, non dicam supereret. —
Quod quidem nostris in primis temporibus cernitur, in quibus aliqui leuiter docti, vel superbia elati, vel auri fama et
cupiditate incitati, scriptiunculis conficiendis, suam eruditio-
nem, et si fortassis plane iis deficiat, ostentare, reliquosque
omnes sua peritia superare, atque aut vituperandis aliis iis
ipsis longe doctoribus, aut male refutandis veris religionis
principiis, omnibusque fere diuini et humani iuris praceptis ve-
ritatem denegandis, satis petulanter et temere gloriam in lite-
rarum orbe aut saltem famam sibi conciliare student, qui au-
tem modus se se iactandi, factio *Herostrati*, qui templum Dia-
nae incendit, admodum similis videtur. Cui turbae homi-
num et gregi adiungas nostro aevo bibliopolas nonnullos,
qui nimia lucri cupiditate ducti, irreligiosa, turpia, obscoena,
aliaque illicita, et peregrini momenti scripta in primere cu-
rant, atque plagulis ac paginis, vulgaribus grauescentibus
nugis, bibliopolia fere implera cumulant, hasque nugas igno-
biles sub praetextu licet specioso, tamen prorsus inani, qui-
busdam figuris notulisque auctas, inconsiderate post paucos
dies aut menses recudere audent. Quae cum ita sint, atque
aetate iam superiori semper sic plus minusue fuerint, saluber-
rimum iam dudum inter alia repertum est remedium, quo
nimia licentia libros improbatos et periculosos in primendi
quodammodo angustioribus circumscripta est finibus, quod-
que dicitur: *Publica librorum Censura*. Haec autem est: *in-
stitutum publicum, ex quo nullum scriptum eudi licet, nisi quod
antea a certo viro docto, publice ad hoc constituto, vel pluribus
accu-*

d) In yniuersum hue pertinet: *Abasv. FRITSCHII Diff. de abusibus typog-
raphiae tollend. in Opusculis, Norimb. 1731. editis, T. II. P. IV.
Tr. XIII. p. 172.*



accuratè perfectum, perspectumque, an aliquid offendiculi infest nece-
ne, atque subscriptione nominis, aut quoconque alio modo approba-
tum sit: ex quo facile sequitur, censuram non solum ad integrum
librum, sed etiam ad singula libri illicita verba et loca
pertinere.

Necessitatem utilitatemque censurae^{e)} hic argumentis probare non opus est, cum partim experientia omnia, quae a quibusdam contra censuram admonita sunt, optime refutavit, et nos docuit, quam facile negotiorum sit, libertate preli non limitata, ac censura scriptis non impedita, praecepta religionis, sensus veri et falsi, hominumque mentes dubias et incertas reddere, et controuersias inter homines periculosisfimas spargere, nonnunquam etiam summas in ciuitate discordias et seditiones excitare, partim b. BOEHMERVS,^{f)} et Ad. Deod. STEGERVS,^{g)} firmis rationibus censuram ab omnibus obiectionibus vindicarunt, satisque superflue eius necessitudinem demonstrarunt, atque commoda eius mala multo antecedere diserte assertierunt.

Viri autem, quibus publica auctoritate prouincia talis censoria delegata est, dicuntur: *Censores*, forte propter similitudinem, quam cum Romanorum censoribus habent, cum iis in vitam et mores ciuium inquirentes, ac de iis iudicantes, eos ad meliorem vitam et virtutem admonebant, hi vero de libris iudicantes, operam dant, ne mores et vita ciuium reiectis scriptis corrumpantur. Sed ne hi censores liberius iudicent, quam fas est, ac scripta minus periculosa, ex caussa priuata

e) cf. BOEHMERTI *Ius Eccles.* T. IV. Lib. V. Tit. VII. §. CI. segg.
EIVSD. *Diff. land. Cap. II. III. Cbr. Gottfr. HOFFMANNI Vor-
rede von dem Ursprunge, Fortgang und Nutzen der Bücher-Censur, ad
P. XIV. der unparteiischen Gedanken über die Journale.*

f) in *Differr. de irre circa libros improbatæ lectiōnē*. Hal. 1726. 4.

g) in *Diff. de publica rei librariae tutela*, Lipſ. 1740. 4.

priuata damnent, et acerbius censuram exerceant, quod libertati scribendi ac rei literariae maximopere obest.^{b)} praescripti iis sunt fines, quos excedere non debent, et si hos excederint, de eorum iudicio magistratus vel principis, a quo iis hoc munus datum, auxilium quaerere licet. Igitur laudandum est optimum, quod dat A. FRITSCHIVS,ⁱ⁾ consilium de censura sub initium libri simul typis inprimenda: hoc enim censoribus fidem, accuratam curam et studium in perlegendis perscrutandisque scriptis quam maxime suadere, probatur exemplo Italiae et Franco-Galliae, vbi sub initium librorum censuram aequa ac censoris nomen inprimere moris est.

Huius autem censurae librorum origo et initium vulgo Alexandro VI. Pontifici tribuitur. Sed ea potius primum in Germania orta est, cum Bertholdus,^{k)} Elector et Archiepiscopus Moguntinus, anno 1486. mense Ianuario, quosdam censores^{l)} ex omnibus facultatibus partim Moguntiae, vbi tunc ars et officinae typographicae valde florebant, partim Francofurti, quo iis iam temporibus commercium librorum incipiebat, ad cognoscendos libros imprimendos constituisset.^{m)} Notatu dignum hac in re conspicimus, censuram ab ordinibus Imperii in suis prouinciis institutam, Caesarea et

B 2


Imperii

^{b)} De qua re vid. *Illustris HOMMELIVS in notis ad Beccariam p. 211.*
ⁱ⁾ in *Diss. laud. scđ. III. n. 27. et in diss. de typographis, cap. IV. §. 6.*
^{m)} in *Enisd. Opusc. T. II. P. IV. Tr. XIV. p. 179.*

^{k)} De qua re vid. G. Chr. JOANNIS Script. rer. Moguntin. T. I. p. 798.
^{l)} ESTORS *Nene kleine Schriften*, I. B. 1. St. p. 47. et ill. Ge. DAN.
^{m)} HOFFMANNVS von d. ältesten Kaiserlichen u. Landesherlichen Büchern
²⁰¹¹ Druk- oder Verlag- Privilegien, §. 32.

¹⁾ Qui omni modo distinguendi sunt ab illis librorum censoribus et haereticae prauitatis inquisitoribus, quos in Diöcesi Moguntina 1517. institutos conspicimus, quod quidem apparet ex GVDENI Cod. Dipl. T. IV. no. CCLXXXII. p. 589.

^{m)} Tabulas ipsas constitutionis, lectu non indignas, vid. in GVDENI Co-
dice Diplomatico Tom. IV. n. CCXXII. CCXXIII. CCXXIV. pag. 469 seqq.



Imperi Romano Germanici in genere censura multo antiquiore esse, cuius ultimae in Recessu Imperii Spirensi de anno 1526. §. 30. prima fit mentio.

Olim vero omnis librorum censura neutquam ius principis complectebatur, sed partem iurisdictionis ecclesiasticae efficiebat; quod quidem nostra aetate, passim apud ipsos Catholicos,ⁿ⁾ exceptis scriptis theologicis, qui variis in locis duplice modo a superiori ecclesiastico et seculari simul censentur, ac in primis apud Protestantes^{o)} prorsus mutatum est. Neque dubitandum, quod librorum censura, propter indissolubile vinculum inter eam ac salutem et iura regni, merito inter Iura Regalia sit ponenda. Apud Protestantes hoc laude dignum institutum sub auctoritate et inspectione Collegiorum, quae curam principis circa sacra administrant, stat, ab iisque dependet.

§. V.

Continuatio.

Sed iam ad reliqua remedia, quibus abusus typographiae impediatur, pergamus. Caueri itaque debet, ut nulla vñquam officina typographica sine auctoritate et iussu publico instituatur, iisque solum in locis, vbi optima censurae cura haberi potest;^{a)} hac quidem re omnes officinae priuatae in oppidulis obscuris prohibentur, et pericula, quae ex iis oriri solent, opprimuntur. Deinde ordinationes typographorum, in quibus, quid iis vel faciendum, vel omittendum, expontur,

n) De Gallia aliisque catholicis prouinciis vid. *Geschichte der Bulle in Coetus Domini*, P. III. p. 135—172.

o) BOEHMERI *Diss. laud.* cap. II. §. XI. EIVSD. *Ius Eccles. Profect.* T. IV. Lib. V. T. VII. §. CXVII. seq. et STEGERI *Diss. laud.* §. V.

a) STEGERI *Diss. laud.* §. IV.

tur, necessario conficienda ac publice promulgandae sunt. Postea typographi ipsi, eorumque institores, ac famuli iuramento obstringendi, ne aliquid, nisi quod censura antea probatum, typis excudant, quod quidem institutum, et si utilissimum, tamen summo cum damno iunctum est, cum interdum proxima multorum periuriorum causa facta sit. Denique principi et sub eo cuiuslibet ciuitatis magistratui competere oportet, ius visitandi officinas typographorum, quod saluberrimum aduersus praeclaras huius artis abusum remedium, pri-
mum semper inter reliqua obtinuit locum. Tandem poenae, quae vel librorum auctoribus, qui obsecna aut noxia scripta conficiunt, vel typographis, qui aut sine censura aliquid in-
primunt, aut alio ex capite ordinationes praescriptas negli-
gunt, imponuntur, non minus hic referenda sunt.

§. VI.

*Quomodo promulgatio librorum noxiorum iam impresso-
rum impediatur.*

Ad supprimendos autem libros noxios iam impressos, eorumque promulgationem omni cura impediendam, his fe-
re admodum aptis remediis opus est; primum ut eorum ven-
ditio, emtio, permutatio, et omne in vniuersum mercaturaे
cum iis genus interdicatur, quod quidem interdictum, vti
censura, non ecclesiastico, sed ciuili magistratui competit, pro-
ptereaque partem iuris regalis circa libros principis efficit; si
his vero interdictis obtemperaretur, reliquis omnibus reme-
diis prorsus non indigeret, ac hac re statim scriptorum diffra-
ctio supprimeretur, ne quidem ullus noxius libellus ex bibliopolarum manibus in conspectum hominum prodiret. Secun-
do publica accurata lectionis prohibitione cauendum, quomi-
nus talium periculosorum librorum lectione, incauti hominum

B 3

animi



animi et sensus perdantur atque perturbentur; sed talis prohibitio publica admodum diligenter et prouide est peragenda, et tantum libri, de quibus firmissime ac certe assuerari queat, quod exitio lectoribus indoctis sint, hac poena sunt signandi, ne res literaria, bonis fortassis libris et praestantis simis summorum ingeniorum scriptis interdicendis, hac ex re plura capiat incommoda, quam commoda. Talis vero publica lectio[n]is prohibitio iam in iure Romano et Canonicō locum obtinuit, quare in Digestis leg. 4. §. I. fam. herc. in Codice l. 8. de haeret. posteaque in Decreto c. I. D. 37. leges latas conspicimus, quas b. BOEHMERVS,¹⁾ ut hanc totam materiam diligenter et erudite pertractauit, accurate et diserte exposuit, aliisque legibus confirmauit. Tertio curandum, ut libri damnoſi magistratu[m] tradantur, aut iuſſu eius fisco addicantur, quae quidem confiſcatio, accedentibus quibusdam conditionibus, nonnunquam cum publica librorum comburatione iuncta eſt, quod cum libris atheis, calumnofis et seditioſis factum eſſe, omnium fere regionum antiqua et noua historia demonstrat. Tandem quarto ordinandum, ut poenis, et ex ratione rerum fortassis grauioribus afficiantur ii, qui contra magistratus iuſſum tales libros vendunt, aut quocunque alio modo distrahant et promulgant, vel traditione a magistratu[m] mandata talia scripta nihilominus celant.

§. VII.

Commoda reipublicae, quomodo per rem librariam augeantur, quo pertinet:

a) *Cura circa ipsum librorum commercium.*

Cum supra §. I. pluribus verbis ex ingenii viribus lectoribus ostendere conati sumus, quantam res libraria felicitatis partem, a) in *Diff. laud. c. I. §. VI. seqq.*

partem vniuerso imperio afferat, et quanti hanc ob rem librorum mercatura facienda et aestimanda sit, nunc considere-
mus, quae a principe et eius magistratibus, ad rei librariae
commoda procreanda conseruandaque, sunt adhibenda reme-
dia. Inprimis bibliopolium ipsum cunctis viribus omniq[ue]
studio efferre, sustentare et omnibus augere debet commodis;
ad hunc vero finem rite persequendum necessario opus est
i) et magistratum interdictis, quibus librariis, typographis
et bibliopegis omnibus scripta in fraudem alterius illicite recu-
dere,^{a)} diserte additis mulierarum minis veratur; et grauissi-
mis poenis, quibus, impressione et mercatura scriptorum alio-
rum impensis editoram iniusta, non solum aequitatis praece-
pta, sed etiam magistratum iussa transgressi, et ad res suas
iniuste angendas vnicē intenti, afficiuntur. Illegitimus au-
tem hic lucri capiendi modus ex noua per fraudem alterius
librorum recusione sevē admodum puniendus est, cum par-
tim species furti sit, partim ex eo non leue mercaturaē libro-
rum offendiculum veniat. Non ne enim librarius probus et
honestus, qui librum magni pretii suis sumtibus excudendum
curauit, atque hac de cauſa impensas fecit maximas, ex fur-
tiua sui libri recusione periculum et dānum patiatur, atque
magnopere impediat, deterreaturque, quo minus tale ne-
gotium denuo in se suscipiat, cum fortassis alias, recusione
illegitima non sequita, summis doctorum scriptis operibus-
que, suis sumtibus ac labore edendis, toti litterarum orbi prae-
claram vtilitatem procreasset? Nec mintis his interdictis typog-
raphi quoque sub poena dehortandi sunt, ne maiorem nu-
merum exemplariorum, quae ipsi cum damno librariorū non
nunquam clam vendidant, typis exprimant, quam auctor aut
biblio-

a) Instar omnium commendandus sequens liber: *Der Büchernachdruck nach äichen Grundsätzen des Rechts geprüft von Ioh. Steph. Pütter, Götting. 1774.*



bibliopola excludere, iussit. ^{b)} 2) Concessione et singulari conseruatione priuilegiorum ^{c)} librorum, qua quidem re vel auctor vel bibliopola ius singulare reliquos omnes prohibens, ad distractionem scriptorum suis impensis editorum aut edendorum consequitur iis in locis, quae imperio concedentis subsunt. Amplissimum horum priuilegiorum in negotio librorum usum nemo has in primis ob causas denegabit; quia librariis tum in regionibus, ubi alias iniusta librorum noua impressio licita, vel saltem a poena immunis, tum in terris, in quibus ea quidem contra leges ac poenis signata est, saluberrimos praebent effectus. Is enim, qui gaudet privilegio, sequuta illegitima libri sui recusione, a probanda possessione et monopolii dicti libri omni modo liber est. Accedit et hoc, quod priuilegia, propter iis adiecit maximam poenam pecuniariam, et confiscationem omnium iniuste recusorum exemplarium, interdictis de noua impressione vulgaribus maiorem vim ac autoritatem habent. Talia librorum priuilegia concedendi ius soli principi est, praecipuamque iuris librorum regalis efficit partem.

§. VIII.

Continuatio.

Inter haec instituta et remedia locum quoque iure occupat 3) immunitas librorum antiquorum et nouorum, ligatorum et non ligatorum, transuentium et ineuntium, a vectigalibus, portoriis aliisque tributis, quibus nostra aetate pretia mercium supra modum augmentur, quod institutum in Gallia alisque

b) vid. FRITSCHII *Diff. de bibliopolis*, Cap. V. §. X. in Opusc. T. II. P. IV. Tr. XIV. p. 192.

c) Quorum naturam doce expositus ill. RÜTTERVS l. l. §. 96—105.

alisque prouinciis ^{a)}) receptum, librorum negotia in primis amplificat, praesertim si tali immunitate materiarum genera rem librariam concernentium simili modo fruuntur.

4) Magistratus denique vel legibus expressis, vel publica cura, quantum in iis est, prospicere, et operam dare debent, ne libri, negligentia typothetarum, maculosis papyri chartis impressi, sed adhibitis correctoribus a typographis diligentibus, accurate ac nitide excusi in publicum prodeant; quae quidem elegantia neutiquam in luxum et splendorem inutilem degenerare debet, quoniam hoc modo externa ornamenta, ut nunc saepissime fit, stolidis libris ipsis plus valent, ac magnum creant pretium. Haec vero librorum pretia in librariorum et typographorum taxis, ut vocant, definienda ac praescribenda sunt, proptereaque bibliopolis, si pretium admodum iniustum constituant, priuilegia commode adimi possunt, praesertim cum saepissime hae conditiones priuilegiis adiectae sint. Arridet mihi cum primis mos Hispanorum, ^{b)} Anglorum et Gallicorum hac in causa, qui publica auctoritate pretium libri, et si id hodie rarius fieri solet, sub initium, vel secundae paginae passim imprimunt, ne librorum emtores, in decrementum rei literariae, inde damnum sentiant.

5) Catalogi tandem de librorum sectione censurae publicae submittantur, ne libri improbatae lectionis hac via inter homines disseminentur, atque a magistratu leges et ordinationes de auctionibus ferantur, ut omnia rite ac iuste in iis peragantur.

§. IX.

a) A. FRITSCHIVS in *Diff. de abus. typogr.* Sect. III. n. 37.

b) FRITSCHIVS l.c. Sect. III. n. 35.


 §. IX.

 b) *Cura circa personas negotiatione libraria
occupatas.*

Haec sufficient de cura circa ipsas res ad haec negotia pertinentes adhibenda. Nunc itaque videamus, quae in bene ordinata republica circa homines varii generis, in mercatura libraria quavis ratione versantes, publica auctoritate constituenta sunt. Quod vero ad instituta et dispositiones internas cuiusque talium personarum societatis attinet, haec fere tenenda. Nullum harum personarum genus singulare corpus constituit, nisi a summo imperante iura collegii adeptum, ac inde e. gr. librarii vel alii publicum collegium, ad mercaturam librorum pertinens, sine principis auctoritate et confirmatione fundare nequeunt. Quamquam de societate priuata mercatoria inter plures bibliopolas orta aliter sentiendum. Talem enim societatem, in qua plures communi studio, opera ac impensis librorum versuram exercent, pro lubitu ineundi facultas omnibus librariis, vti aliis mercatoribus, permissa est. Dein statuta, leges et consuetudines talium corporum, aut collegiorum nunquam valent, nisi principis confirmatione robur auctoritatemque acceperint. Legitima autem talium societatum iura, libertates, consuetudines ac instituta iusto titulo acquisita, longoque vsu recepta a parte magistratum omnino defendenda, iisque pleno iure conseruanda, et caussae atque controuersiae priuatae inter eos initae, ex eorum statutis, alioquin ex legibus locorum, vbi commorantur, et imperialibus, his quoque deficientibus ex communibus iurium, et iuris naturae praeceptis diiudicandae sunt. Denique exitiosi talium statutorum abusus, in plures saepe regiones et vrbes propagati, publica auctoritate diligenter corrigendi ac prorsus abolendi videntur.

Si

Si vero secundo species externas inter has personas varias obligationes, quoad commercium librorum respiciunt, imprimis fines uniuicuque horum hominum classi admodum curate ponendi, et acriter seruandi sunt, propterea que nullib[us] vnuquam librario ius simul officinam typographi, vel bibliopegi instituendi competit, nisi vel collegiis typographorum et bibliopegorum simul inscriptus, vel contrarium in eo loco, quo vitam degit, obseruantia aut conuentione particulari definitum sit. Vnde euenit, quod etiam apud nos receptum, ut bibliopegi, libros compactos vendentes, antea eos a librariis emere sint coacti. Numerum certum vero librorum propolarum, typographorum, bibliopegorum reliquorumque in his artibus versantium diserte definire, prudentiae adversatur, eorum tamen numero plures adiicere vel adimere, semper ab arbitrio, vti communi reipublicae literariae commodo prodesse aut obesse visum, cuiuscunque magistratus pender, excipias modo, si in statutis loci aliter sit dispositum.

§. X.

c) Cura circa publicum librorum usum.

Nunc ultimo loco ad salutem reipublicae promouendam, cura circa publicum librorum usum maxime est commendanda, quia innumerabilia fere mala et incommoda ex negligencia circa huius rei curam profiscuntur. Eo pertinet ius libros, quibus praecpta seu fundamenta religionis, aut scientiarum traduntur, in ecclesia et scholis introducendi; quod quidem, quoad libros religiosos, accidente principis approbatione, potestatis ecclesiasticae, quoad reliquos, ciuilis est magistratus, cui curare impositum, ne talium librorum copia deficit, sed ab omnibus vili et aequo pretio acquiri possint.

C 2

Porro



Porro fundatio et conseruatio bibliothecarum publicarum, quae omnibus semper pateant; licet etiam priuati et corpora quaedam bibliothecas plurimorum voluminum exstruere, ac publici iuris pro libitu facere possint, quo refero librorum locatores, qui pro mercede quadam lectionem suorum librorum aliis concedunt, tamen hac semper conditione, ut magistratus supremam habeat in eos inspectionem, ac facile cauere possit, ne hac ratione libri periculum minantes noxiique dissipentur in vulgus. Quapropter catalogi quoque librorum a locatis communicandorum a censoribus supra commemoratis perlustrentur.

§. XI.

Discrimen publicae rei librariae curae, a iurisdictione circa priuata singulorum iura ad rem librariam spectantia.

Cum *publica rei librariae cura* modo has res stringat et concernat, quae in commercio ac re libraria cum reipublicae felicitate et prosperitate immediate coniunctae copulataeque sunt, cuiusmodi omnes hactenus tractatae materiae, quae proprii principis iuri regali annexae sunt: *Iurisdictio* vero ordinaria tantum ad causas priuatorum tendat, in quibus de priuatis singulorum iuribus agitur, quales v. g. sunt lites inter auctorem libri et bibliopolam de honorario, debita ex librorum venditione contracta, dissensus inter socios mercatorios aliaeque priuata negotia, quae ad competens rei forum remittuntur: facile intelligitur, *publicam rei librariae curam et iurisdictionem* circa negotia singulorum rem librariam spectantia, quam maxime inter se differre, ideoque hanc ab illa longe lateque discernendam atque segregandam esse.

§. XII.

§. XII.

*Publica rei librariae cura tum principis, tum magistratus
inferioris.*

Quamquam, ut dictum, haec publica cura proprie*ius*
regale principis est, tamen ea, propter multitudinem locorum,
in quibus officinae librariae, typographicae, aliaeque ad mer-
caturam librorum spectantes existant, singulis in locis principi-
vel ab eius collegiis publicis neutiquam per se commode admini-
strari et exerceri potest. Quare efficitur, ut magistratus quoque
inferiores, administrandae iurisdictionis politiaeque seruandae
causae constituti, publicae huius rei tutelae ex natura muneris
participes fiant.

Haec vero tutela, in quantum magistratibus sit commis-
sa, quorumque hic inde iurium compotes sint facti, age nar-
rabimus. Ius enim leges ferendi aliae noua instituta gene-
ralia formandi ii prorsus non possident, et si potestas ordina-
tiones, vtpote interdictum de libris a bibliopegis vendendis,
faciendi, quae rescriptis aut legibus a principe latis nituntur,
et specialem politiam eius ciuitatis, cui praesunt, nec commu-
nem totius proiuinciae politiam attingunt, iis ademta non sit.
E contrario autem ex magistratus officio iis competunt prae-
cipue omnes eae causae ac negotia, quae ex sua natura iuri-
dictioni vel iudicio criminali subsunt, proptereaque delicta
sensu proprio vocantur; ex quo genere sunt: cognitio et poe-
na periurii a typographo patrati, libelli iniuriosi, et nouae li-
bri recusionis illegitima, aliorumque criminum, quae ex le-
gibus ciuitatis delictorum numerum implent. Deinde etiam
instituta publica, quae ad politiam particularem cuiusvis ciui-
tatis spectant, quamdui prohibitio non adsit, qualia sunt: ius-
iurandum typographo iniungendum, visitatio officinarum ty-



pographicarum, cura de auertenda crebra ac celere promulgatione scripti cuiusdam noxii et admodum damnosii, si periculum in mora sit, publica tutela in auctiones librorum publicas, aliaque. Praeterea vero nil sine legibus aut singulari obseruantia, vel speciali principis mandato, iis in hoc negotio expedire licet; sed potius in caussis maioribus, ad eos plene non pertinentibus, nihilominus publicam felicitatem procurantibus, ad principem vel collegia maiora referre, atque decretum debent exspectare,


SECTIO II.

DE PVBLICA REI LIBRARIAE CVRA IN GERMANIA, PARITER AC IN SAXONIA ELECTORALI.

Postquam igitur de cura rei librariae in vniuersum vidimus, age nunc in secunda dissertationis nostrae sectione, a quibus et quomodo ea in Germania, inque primis Saxonia nostra exerceatur, breuiter dispiciamus. Itaque hoc loco:

- A) DE IVRIEVS REGALIEVS CIRCA LIBROS IN GERMANIA, QVIBVSVE EA COMPETANT, ET A QVIBVS ADMINISTRENTVR, agendum.
- B) IPSA ARGVMENTA LEGVM ET CONSTITUTIONVM CVM IMPERII GERMANICI, TVM SAXONIAE ELECTORALIS, REM ET CVRAM LIBRARIAM CONCERNENTIVM, recensenda sunt.

§. I.


 §. I.

A) DE IVRE REGALI CIRCA LIBROS:

- 1) *Quoad totum Imperium Germ. ubi competit:*
 1.) *Vel Imperatori atque Imperio coniunctim.*

Ipsum vero ius circa libros regale in Germania duplci respectu tractandum venit, cum illud alio modo quoad uniuersum Imperium vi maiestatis, alio in singulis Germaniae prouinciis vi superioritatis territorialis et locum habeat, et exerceatur.

Ac priori quidem respectu iura, quae complexum eius efficiunt, partim Imperatori et Imperio, hoc est, Ordinibus Imperii in comitiis congregatis, simul et coniunctim, partim Imperatori soli competitunt. Scilicet eam huius iuris maiestati proprii partem, quae in nouis legibus circa rem librariam, per totam Germaniam valitur, ferundis, aut antiquioribus Imperii constitutionibus tollendis vel mutandis posita est, ad solum Imperatorem non pertinere, ex formula regni Germaniae intelligitur, quippe quae haud patitur, ut potestas legislatoria sit apud solum Caesarem, sed potius, si qua noua lex ad totam Germaniam spectans condenda, consensum ordinum Imperii desiderat, adeo, ut illa a Caesare non, nisi accedente comitiali suffragio, exerceri et administrari possit: id quod clara et diserta verba legum Imperii^{a)} docent.

§. II.

- 2) *Vel soli Imperatori.*

Quod vero ad alteram classem iurium circa rem librariam regalium in regno Germaniae attinet, quae solius Imperatoris

^{pro-}
 a) *Instrum. Pac. Osnabrug.* Art. VIII. §. 2. *Capitul. Caesar. nouiss.* Art. II.
 §. 4. 5.



propria esse censentur, ad eam referendum primo ius et ad normam legum Imperii ordinandi instituta ac media, quibus abusus publicae passim in prouinciis Germaniae inspectionis in rem librariam, ac editio librorum perniciosorum atque contumeliosorum valde imminuat impediaturque,^{a)} qualia sunt censura librorum, confiscatio, coercitio auctorum, typographorum ac librariorum; et edicta, quibus quidem nihil noui, aut menti legum Imperii contrarium insit, hanc in rem propria auctoritate promulgandi.^{b)} Quae tamen omnia, salua rei librariae cura et inspectione singulis Imperii ordinibus vi iuris territorialis in suis terris competente,^{c)} ac omnino saluo iure et sine praeiudicio tertii,^{d)} administranda esse, dubio caret.

Deinde in primis hoc pertinet concessio et defensio caesareorum circa libros imprimendos priuilegiorum,^{e)} quae ob maximam potentiam, qua secundum principia media aetate orta Caesar in dandis priuilegiis in vniuersum pollere credebatur, sub initium seculi XVI. et paulo post ab auctoribus ac mercatoribus librorum, eiusmodi literis contra omnem furituam impressionis repetitionem in tota Germania satis tutos se

§. 4. 5. Conf. ill. PÜTTERVS in *Elem. Iur. Publ. Germ.* §. 326. edit. a. 1766. et ill. 10. JAC. MOSERVS von KAYSERL. *Regierungs-Recht. und Pflicht.* Cap. XX. §. 51.

a) PÜTTERVS vom Bücher-Nachdr. §. 168.

b) MOSERVS, l. l.

c) PÜTTERVS l. c.

d) e. g. Corporis Euangelici, quod nonnunquam de iniuria a Caesareis librorum commissariis Francofurtenibus, Fiscali Imperii nec non Senatu Imperii aulico fibi illata, conqueustum esse constat: quo tendit locus *Capitular. Caesar. nouiss. Art. II. §. 7. cf. PÜTTERVS vom Bücher-Nachdr. §. 173. not. (h).*

e) PÜTTERVS v. Büch. Nachdr. §. 169. De praxi circa concessionem et naturam priuilegiorum impresiorum Caesareorum vid. MOSERVS v. KAYSERLICHEN Regier. Recht. p. 585-597. et CRAMERVS in System. Proc. Imp. P. IV. Sect. VIII. Tit. X.

se existimantibus, aude et frequenter expedi ac impetrari coeperunt. Antiquissimum vero, quod hactenus innotuit, priuilegium caesareum vniuersale illud esse videtur, auctore ill. HOFFMANNO,^f) quo Maximilianus I. antiquum in libros decretalium commentarium, cui inscriptio: *Lectura aurea semper Domini abbatis antiqui, super quinque libris decretalium; a. c. 1515.* editum instruxit, ut appareat ex verbis, quae, teste ill. HOFFMANNO, cui primo rei literariae amatores hanc debent notitiam, ad eius calcem leguntur: *Ioannes Schottas pressit anno gratiae M. D. X. Nonis Nouembribus Maximiliani Caesaris semper augusti priuilegio munitum opus.* Nam illa priuilegia, quae *Sodalitas Rhenana Celtaica,*^g) primum a. c. 1515. a celebri Senatu imperiali, ista aetate per aliquod tempus sub Regimenti Imperii elogio florente, nacta est, neque ipsius Caesaris auctoritate data fuisse, neque ad totam Germaniam, sed ad liberas tantum Imperii vrbes spectasse, ex iis, quae apud duumuiros illustres PÜTTERVM^h) atque HOFFMANNVM,ⁱ) hac de re commemorata reperiuntur, facile coniici posse arbitramur. Ceterum de vi ac valore priuilegiorum Imperatoris circa libros hodierno non praeterunda est hoc loco sententia ill. PÜTTERI^k) afferentis et grauiter defendenis, eorum usum et auctoritatem commercium librarium Francofurtanum, praesertim illud, quod nundinis solemnibus ibi exercetur, nostris temporibus vix excedere, in terris vero ordinum Imperii haud deprehendi, partim quod horum superioritas territorialis, vi cuius quilibet eorum in suis ditionibus ipse priuilegia dare valeat, id non patiatur,

f) in supra laudato von den ältesten Bücher-Privilegien, §. 15. 16.

g) de qua vid. NIC. HIERON. GUNDLINGIVS de vita, fatis et scriptis Conradi Celtis, in eius Observat. selest. ad rem liter. spectant. Tom. I.

h) PÜTTERVS v. Buch. Nachdr. §. 169.

i) HOFFMANNVS I. c. § 4.

k) vom Bücher-Nachdr. §. 179. 180.

tiatur, partim ob paullo angustiores limites potestati Caesaris concedendi priuilegia, inque his monopolia, recentiori lege¹⁾ Imperii positos.

§. III.

Per quos iura Caesaris circa libros regalia et olim administrata sunt, et nunc administrantur.

Hucusque, quae sint Imperatoris in rei librariae regimine iura, exposuimus. Iam, qua ratione et a quibus sive singulis personis, sine integris collegiis, ea illius nomine cum pristinis temporibus exercita fuerint, tum adhuc administrantur, a nobis breuiter narrandum erit. Ab initio quidem cum res libraria in Germania paullo maiora incrementa caperet, et maiestatis circa eam partes aestimari inciperent, Maximilianus I. certos rei librariae per imperium Germanicum dirigendae viros, dictos *Superattendentes librorum Generales*,²⁾ qui ineunte seculo XVI. occurrunt, constituisse, iisque potestatem libros censendi, librariis priuilegia concedendi, ac poenas propter illegitimam librorum priuilegio munitorum impreissionem imponendi dedisse videtur.

Sed

I) CAPITVLAT. CAES. NOVISS. Art. VII. §. III. IV.

- a) Ita fane JACOBVS OESLERVS in priuilegio, editioni *Sermonum Ioannis GEILERI KEISERSBERGII*, Argentorati, 1514. impressae praefixo se scribit: *per Imperium Romanum artis impressoriae censem et Superattendentem generalem*. Et in alio eiusdem GEILERI opere germanico super euangeliorum interpretatione, Argentorati 1517. edito se vocat: *Roemisch-Kaysrlicher Majestas verordnet General-Superintendent der Druckereyen im heiligen Reich*. Euoule, si plura scire cupis, *Io. Pet. de LVDEWIG Abhandlung vom kaysrlichen General-Superintendenten aller Buchdrucker des R. Reichs*, in Gelehrte Anzeig. III. Band. num. 14. et ill. HOFFMANNI lib. cit. §. 33. 34. qui varia non sine iusta causa aduersus LVDEWIGIVM monuit.

Sed utrum haec potestas per totam Germaniam extensa, an intra solius ciuitatis Argentoratensis fines inclusa fuerit, certo non constat. Hoc vero certius, hanc inspectionem aetatem haud tulisse, sed potius, forte ob eius abusum, mox eodem adhuc seculo plane extinctam fuisse, adeo, ut nullum eius rei postea vestigium amplius reperiatur.

Potius insignis, quae in ciuitate Francofurtensi ad Moenum tum efflorescebat, librorum mercatura effecit, ut Imperatores nunc iura sua circa rem librariam per aliquod tempus a Senatu Francofurtensi exerceri curarent, ut ex rescriptis de variis ad hoc negotiorum genus spectantibus rebus ad eum isto seculo missis perspicitur.

Sed postea, cum librorum et priuilegiorum de iis inprimendis copia in infinitum augeta, atque totius rei libraiae abusu, in quo frequens priuilegiorum violatio haud ultimum occupabat locum, accrescente, Senatus modo commemoratus cognitionem propter multitudinem caussarum hac in re obuenientium recusaret, primus Imperator Rudolphus II. annis ccccxxix. et cccclxxx. peculiarem rei libraiae ibi dirigendae Commissionem (*Bücher-Commission*) Francofurti constituit,^{b)} et a. cccxcviii. instaurauit, quae, duabus constans personis primariis catholicae religioni addictis, clero atque laico, quibus adiunctus est actuarius, adhuc floret, et in primis secundum nouissimam normam a. ccccxlv. a Francisco I. acceptam^{c)} iura Caesaris libraria, praesertim quoad li-

D 2 bros

b) De qua aequa ac de publica rei libraiae cura Francofurtensi vid. *Celeb. ORTHII Abhandl. v. d. Reichsmessen z. Frankfurt am Main*, (Francofurti 1755. 4) Sect. XIII. et ill. *FÜTTERVS vom Bücher-Nachdr.* §. 171 - 176. nec non ill. *MOSERVVS v. Kayserl. Regierungs-Rechr.* p. 729 lqq.

c) *Kayserl. Bücher-Patent* d. a. 1746. in *Nen. Samml. der Reichs-Alsb.* P. IV. Append. p. 114.



bros censendos, noxiosque aut contra Caesarea priuilegia furtive impressos supprimendos et fisco addicendos, administrat, ceteroquin ipsa supremis Imperii tribunalibus subordinata. Quamquam autem eiusdem potestas in censendis et prohibendis libris ipsa adeo Imperii lege ^{d)} haud obscure agnita fuerit, ea tamen ad solam urbem Francofurtanam eiusque nundinas sollemnes ita restricta est, ut alibi, etiam Lipsiae, nullum omnino locum intueriatur. Ceterum sunt, qui de nimio eius rigore conqueruntur, et caussam cadentis mercaturaे librariae Francofurtanae in eo ponunt. ^{e)}

Longe maiores vero in iuribus Imperatoris circa rem librariam regalibus exercendis partes sunt supremorum Imperii tribunalium, praesertim Senatus Imperialis Aulici. ^{f)} Non solum enim priuilegia libroruin a splendifidissimo hoc senatu, rarius a Cancellaria Imperii, nunquam vero a Iudicio Camerae Imperii, quippe quod solas caussas iustitiae, non aequae actus gratiae tractandi facultatem cum illo communem habet, ^{g)} nomine Caesaris conceduntur atque expediuntur. ^{h)} Verum etiam vtrumque tribunal de violatione priuilegiorum ad partis laesae preces, ⁱ⁾ de libris noxiis prohibendis ac fisco addicendis, de auctoribus, impressoribus, ac mercatoribus scriptrorum improbabatae lectionis, in primis Fiscali imperiali actiones mouente, cognoscit. ^{k)} Quae quidem omnia salvo iure territoriali cuiusvis principis intelligenda esse, per se patet.

§. IV.

d) *Capitular. Caef. nouiss.* Art. II. §. 7.

e) *Conf. ill. PÜTTERVS l. c. p. 195.*


f) *Exempla si desideras, evolue collectionem, quae inscripta: Reichs-Hofrathliche Erkenntnisse in Bücher-Sachen, mit Anmerckungen, prostat in ill. Io. Iac. MOSERI Abhandl. verschied. Rechtsmater. P. VI. cum. V.*

g) *CRAMERVIS in System. Proc. Imp. §. 2253.*

h) *MOSERVS von Kaiserl. Reger. Rechten p. 588.*

i) *PÜTTERVS vom Bücher-Nichdr. §. 182.*

k) *Idem l. c. §. 168. vbi loca legum Imperii hic spectantia collecta reperies.*


 §. IV.

 11) *De iure regali circa libros singulis Imperii ordinibus competente.*

Iam pauca de iuribus, quibus singulorum Imperii ordinum quilibet in regenda re libraria suarum terrarum vtitur, adiiciamus. Ipsa scilicet publica cura circa rei librariae abusus cauendos iustumque eius usum definiendum, cum sit pars supremi regiminis, ut in prima Sect. demonstratum fuit, sequitur profecto, principes Germaniae, quos superioritate territoriali in suis prouinciis pollere, nemo est, qui negare audiat, rem librariam, quatenus ea interest reipublicae, quemlibet pro suarum ditionum finibus, optimo iure ordinare et in publicam terrae suaem salutem dirigere: dummodo nihil committatur, quod legibus Imperii aperte aduersetur, cuius generis v. c. publica librorum religionem christianam impugnantium, bonis moribus maxime contrariorum, aut meras calumnias spirantium tolerantia foret. Qua propter publica illa circa rem librariam in singulis prouinciis Germaniae cura pars superioritatis territorialis recte censetur.^{a)} A qua quidem plane differt ea, quae a magistratibus inferioribus in locis suaem iurisdictioni subiectis passim in Germania exercetur, quippe ab illa principum potestare plane pendens et arctis limitibus, quos supra §. XII. Sect. I. definitiimus, omnino circumscripta.

§. V.

Vtterior eius explicatio.

Ex hoc igitur superioritatis territorialis fonte in primis originem ducunt:

D 3

Le-

a) PÜTTERVS *Instit. Iur. Publ. Germ.* §. 363. edit. an. 1776. IDEM
vom Bücher-Nachdr. §. 167.

a) PÜTTERVS vom Bücher-Nachdr. §. 169.



1) Leges prouinciales ^{a)} rem librariam concernentes, quarum copia auctoritas ex conditione mercatura libraiae in quacunque terra prorsus pendet. Vnde venit, quod nulla Germaniae prouincia pluribus ac grauioribus de hoc argu- mento legibus Saxoniam electoralem antecellat, in qua negotia et commercia librorum inter omnes Germaniae terras propter nundinas Lipsienses, ab exteris bibliopolis maxime frequentari solitas, summum obtinent vafigium.

2) Librorum priuilegia, quae ab Imperii ordinibus con- cedi frequenter solent, ^{b)} quorum tamē vim et valorem ultra illius terrae, a cuius principe data sunt, fines haud progredi, ipsa superioritatis territorialis natura satis declarat.

Horum antiquissimum, quod hactenus innotuit, illud ef- se videtur, quod Guilielmus et Ludouicus, Boiorum duces, Ioanni Auentino a. 1515^{c)} tribuerunt. Immo prin- cipes ab initio hoc priuilegorum ius non adeo magni aesti- masse, vel inde appetat, quod tunc quandoque a magistrati- bus municipioruu ea concedi passi fuerint: ^{d)} licet hodie, mu- rata nunc rerum facie, id amplius non fieri, experientia nos doceat. Inter haec autem, quae Principes Germaniae biblio- polis praebent, priuilegia primum absque dubio locum, cum ob potentium et impetrantium frequentiam, tum ob summam auctoritatem et virilitatem in nundinis Lipsiensibus, tamquam insigni omnis mercatura Germanorum libraiae praefidio, maxime conspicuam, ea tenent, quae ab Electoribus Saxo- niae

b) PÜTTERVS I. c. §. cir.

c) Praemissum est sequenti scripto: *Historia non vulgaris veteritatesque Octingae Boiorum*, Norimbergae 1523. 4. Cuius rei primam mentionem fecit ill. Gottfr. Dan. HOFFMANNVS von den aeltest. Bücher-Privilegiien, §. 30.

d) Ita priuilegorum de libris intra quadriennium ab alijs haud recudendis ab Amplissimo Senatu Lipsiensi a. 1505^{xvi}. Richardo Croco, nec non a. 1515^{xviii}. Petro Mofellano datorum meminit LEICHIUS de typograph. Lipf. pag. 26. et 49.

niae ^{e)} larga manu concedi solent; quippe, acutissimo PÜTTERO ^{f)} iudice, ipsa priuilegia caesarea ob has, quas commorauimus, cauñas, nunc inprimis, cum flos mercaturae librorum Francosurtanae in dies minuatur, longe superantia.

3) Varia vtilia et egregia instituta publica, ad conseruandam, emendandam augendamque mercaturam et vniuersam rem librariam, ad cauendos tollendosque hac in re abusus comparata, qualia sunt librorum censura, atque collegia illa, sub nomine Commissionum librariarum, (*Bücher - Commissionen*) digna sane, vt ob egregia, quae rei librariae afferunt, commoda laudentur ac commendentur, a principibus passim constituta, quorum iura circa libros regalia pro diuerso, quo pollut, potestatis gradu administrant; e quibus exempla Viennensis ^{g)} ad curandam rem librariam in terris Austriacis comparatae, Monacensis ^{h)} atque Lipsiensis iam occurrunt, de qua postrema sequenti sectione plura differemus.

4) Concessio facultatis nouas typographias instituendi a principe impetranda, iis praeserrim in locis, vbi hactenus nullae fuerunt, siquidem huius est aestimare, an quid eorum, quae leges Imperii hac de re sanxerunt, nouae officinae erigendae obster. ⁱ⁾

§. VI.

e) Priuilegiorum librariorum Ducum Saxoniae vetustissimum esse creditur, quod dux Georgius a. 1510 XXVII. Emsero super noto Testamento edendo concessit: de quo aliisque illius aevi priuilegiis Saxonici vid. ill. PÜTTERVS v. Bücher - Nachdr. pag. 167.

f) Ibidem §. 179.

g) De qua cf. *Gedanken über den Buchhandel in den Kaisirlichen Koenigl. Erblanden*, Berl. und Leipz. 1774. et ill. Pet. Car. Guil. L. B. ab HOHENTHAL lib. de politia, Lips. 1776. 8. p. 76.

h) Quod collegium institutum est a. 1769. cf. von KREITMAYER *Grundriss des allgemeinen Taufischen und Bayrischen Staatsrechts*, p. 451.

i) Conf. Ge. Frid. DEINLINI Diss. de regali iure erigendi typographias, cap. III. §. X. seq.


 §. VI.

B) DE LEGIBVS ET CONSTITVTIONIBVS IPSIS GERMANICIS ATQVE SAXONICIS, REM ET CVRAM LIBRARIAVM PVBPLICAM CONCERNENTIBVS.

Absoluta de iure regali circa libros in Germania disputatione, iam in eo sumus, vt altera parte huius sectionis, ipsis constitutiones in Germanico Imperio aequae ac in terris Saxoniae electoralibus de re libraria obuias, argumentorum, de quibus illae praecipiunt, ordinem secuti, breuiter ita recensemus, vt *primum*, quid leges Imperii iubeant aut vetent observari, *deinde*, quid iure Saxonico sanctum, explicemus.²⁾

§. VII.

1) *Argumenta legum Imperii.*

a) *De censura.*

Quoniam vero supra censuram tamquam aptissimum ad diuulgationem librorum noxiorum cohibendam remedium repraesentauimus, de ea hoc quoque loco initium capere placet. Cum temporibus reformationis nonnumquam euangelici aliquique Imperii ordines in comitiis de pernicioſiffima preli libertate, quae religioni christiana et bonis moribus valde noceret, admodum conquesti essent, de mediis eam limitibus circumscribendi cohibendique nunc ipsis legibus Imperii cauebatur. In his igitur prima et antiquissima censurae vestigia in *Recessu Imp. Spirenſi* d. a. cīcīcīxxxvi. §. 30. occurſunt. Paullo post vero ea in vniuersum instituta alio *Recessu Imp. Spirenſi* d. a. cīcīcīxxxix. §. 9. vbi disertiſ et claris verbiſ iuſſum, vt omnia imprimenda et publice vendenda ſcripta, anteqnam typis mandarentur, a quibusdam ad hunc finem

a) Potiſſimum hic conſerenda STEGERI ſupra laud. Diff. de publica rei librariae tutela, Lipsiae, 1740.

= = = = =

finem a cuiusuis loci magistratu rite constitutis personis inspi-
cerentur et approbarentur. Quae quidem constitutio iisdem
fere verbis in *Recessu Imp. Augustano d. a. ccccxxx. §. 58.*
repetita legitur. Neque aliud in *Reformatione Politiae Imp.*
Augustana d. a. cccxcviii. Tit. XXXIV. §. 1. de censura in-
venitur: denuo inculcatum cum in *Recessu Imp. Spirensi d. a.*
ccccxx. §. 156. tum in *Ordinat. Polit. Imp. Francofurtana*
d. a. cccxvii. Tit. XXXV. §. 2. in quibus postremis tri-
bus locis in vniuersum per plures paragraphos de magistra-
tuum cura circa rem librariam publica differit. Nouissi-
me haec censurae necessitas *Editio Caroli VI. Imp.*^{a)} d. a.
ccccxv. promulgato ad normam legum Imperii a nobis
allatarum agnita deprehenditur.

Ex his itaque legum Imperii locis clare patet: Censu-
ram publicam iam post initium seculi XVI. ad cauenda libro-
rum noxiorum damna per vniuersam Germaniam prudenter
inuestigant, potestatem eam vel exercendi, vel viris probis et
in re literaria peritis committendi summo cuilibet imperanti
aut magistratui tributam, censoribus publica auctoritate con-
stitutis studium in perlegendis et approbandis aut reproban-
dis scriptis accuratum mandatum, omnibusque simul typogra-
phis et librariis libertatem, aliquid aut typis excudendi aut
publice vendendi, nisi censoris suffragio munitum, adem-
tam esse.

§. VIII.

b) *De typographicarum officinarum institutione et* *typographorum officio.*

His de censorum institutione et officio dictis, leges de
typographia ipsa et typographis in Imperio Germanico latas
ad-

a) Prostet in der Neuen Samml. d. Reichsabsch. P. IV. pag. 336 seq.



adiciamus. Ac primo quidem sciendum, omnes officinas typographicas in oppidulis minoribus nec non priuatis (*Winkel-druckereyen*,) hoc est, sine consensu magistratus instructas, in tota Germania *Recessu Imp. Spirensi* d. a. c. 1512 LXX. §. 155. et 156. *Ordinat. Pot. Imp. Francosurt.* d. a. c. 1512 LXXXVI. Tit. XXXV. §. 6. et *Editto Caroli VI.* d. a. c. 1512 CCCXV. plane interdictas esse. Deinde, ne vallis aliis in locis typographiae erigantur, nisi in quibus aut Electores vel Principes Imperii sedes consuetas habent, aut academiae vel vniuersitates studiorum florent, aut in ciuitatibus liberis imperialibus, iisque rantum primariis (*ansehnlichen*), vbi magistratus bene huic rei prospicere possint, iisdem tribus legibus statim laudatis omnino cautum est.

Ad ipsos vero typographos quod attinet, haec potissimum legibus Imperii de iis sancira reperiuntur: 1) Ut quilibet eorum, antequam ipse officinam sibi comparet, suoque nomine exercere incipiat, magistrati, cui subest, iusurandum de Recessibus Imperii fideliter seruandis praefest; quo demum facto ad artis suea exercitium admittendus. Ita iubent *Recessus Imp. d. a. c. 1512 LXX.* §. 156. *Ordinat. Polit. Imp. Francosurt.* d. a. c. 1512 LXXXVII. Tit. XXXV. §. 6. *Editum Caroli VI.* d. a. c. 1512 CCCXV.

2) Ne contumeliosos libros, aut picturas, neque in universum nouum aliquod scriptum absque praevia censura, siue clam siue publice, excludant, *Recessu Imp. Spirensi* d. a. c. 1512 CCCXIX. §. 9. *Augustano* d. a. c. 1512 CCCX. §. 58. *Reform. Imp. Polit. Augusti* d. a. c. 1512 CCCI. Tit. XXXIV. §. 1. omnino prohibitum. Et *Recessus Imp. Spirensi* d. a. c. 1512 CCCX. §. 156. impressionem omnium calumniosorum et sordidorum libellorum, plagiularum, ac carminum sub graui poena, et amissione exemplarum excusorum aequa ac ipsius iuris officinam habendi paullo durius vetat. Quod quidem non solum *Ordinat. Imp. Polit. Francosurt.* d. a. c. 1512 LXXXVII. Tit.

~~~~~

**Tit. XXXIV. §. 2.** repetitum legitur, sed etiam a *Carolo VI. Imp.* in *Editio d. a. c191cccXV.* nouissime ac multo acerbiori ratione confirmatum fuit iis verbis, quibus typographis omnibus libros noxios, haereticos aliaque per leges fundamentales improbata scripta cudentibus praeter confiscationem gravissimas muletas, aut pro re nata infamiam, immo nonnumquam corporis et sanguinis adeo poenam minatur.

3) Quo facilius autem, si quando aduersus haec interdicta nihilominus libri damnosí publice prodirent, ex quo fonte et a quo auctore ii originem haberent, vbi et quorum typographorum auxilio prodierint, statim innotesceret, *Recessu Imp. Augusti d. a. c191ccccXX. §. 58. Reform. Imp. Polit. Augusti d. a. c191ccccXVIII.* Tit. XXXIV. §. 1. *Recessu Imp. Spirrensi d. a. c191ccccXXX. §. 156. Ordinat. Polit. Imp. Francof. d. a. c191ccccXXVII. §. 2.* nec non *Editio Caroli VI. d. a. c191cccXV.* serio praeceptum, ut omnibus scriptis publicandis auctor libelli, nomen et praenomen typographi, locus denique ac annus impressionis in ipso titulo praefigeretur.

4) Porro *Franciscus I. Imp.* in *Literis Patentibus* a. c191ccccXLVI. emissis,<sup>a)</sup> et typographos a furtiva librorum priuilegiis Caesareis munitorum recusione poenarum metu arcerere studuit;

5) et iisdem elegantiam formarum ac nitidae chartae usum in excludendis libris, quorum causa priuilegia ab Imperatore impetrata, maxime commendauit.

6) Tandem typographos aliquid sine censura, hoc est, publica magistratus aut censorum rite constitutorum approbatione typis exprimentes poenas luere, ex omnibus Imperii legibus superiori §. de censura allatis perspicue appetat.

## E 2

## §. IX.

a) *Kayserl. Bücher-Patent d. a. 1746. in der Neuen Samml. d. Reichs-Absch.*  
*P. IV. App. p. 114.*



## §. IX.

c) *De librariorum officio.*

Haec de legibus Germanicis circa typographos commemorata sufficient. Iam quid secundum easdem librariis, quorum copia Germania valde coepit abundare, sit obseruandum, quidue iis praescriptum aut interdictum, breuiter, ut solemus, videamus. Ac hos quidem, sicut illos, omne genus librorum in patria prohibitorum, quorum indolem sequenti §. indicabimus, siue clam siue publice typis imprimi curare, emere, vendere, permutare, aut quoconque alio modo disseminare, vel neglecta censura aliquid diuulgare haud posse, nisi in poenas, quas typographis propositas esse supra perspeximus, incurrire velint, nos docent omnia legum Imperii loca §. VIII. sat laudata. Praeterea luculentissime *Franciscus I. in Liter. Patent. laud. d. a. 1510 XLVI.* disposuit, vt librarii neque priuilegiis fictis et antiquis in librorum tirulis (alias criminis falsi rei futuri, et poenas tam publicationis eiusmodi librorum, quam privationis iuris commercii librarii passuri) vterentur, neque libros in aliorum officinis cum priuilegio caesareo editos sub iisdem poenis, accedente mulcta in priuilegio definita, intra praescriptum tempus, ad quod illud datum, recuderent; deinde, vt priuilegiis ab Imperatore impetratis, ea non solum sub librorum initium proponerent, sed etiam libros ipsos acutis formis nitidaque charta imprimi, et catalogo nundinarum consueto inseri curarent, nec non iustum exemplarium numerum iis, quibus ius ea exigendi hac lege tribuitur, gratis traderent.

## §. X.

d) *De libris prohibitis.*

Ad libros in Imperio Germanico prohibitos siue improbatae lectionis omnia noxia, praeferunt vero calumniosa scripta

= = = = =

pta vna cum eiusdem farinae picturis in *Recessu Imp. Norimb.*  
*d. a. cixxcicci. §. 28. Spirensi d. a. cixxcicci. §. 9. Augu-*  
*stano d. a. cixcicci. §. 58. Ratisbonensi d. a. cixcicci. §. 40.*  
*ataque Spirensi d. a. cixcicci. §. 154. in vniuersum referuntur.*  
*Deinde cum *Reformatio Imp. Polit. Augustana* d. a. cixxcicci.*  
*Tit. XXXIV. §. 2. praeter libellos tumultibus ac turbis quibus-*  
*cunque excitandis aptos, in primis scripta, quibus religio chri-*  
*ftiana, eaque catholica oppugnaretur, seuere prohibuisset, *Or-**  
**dinatio Polit. Imp. Francosurt.* d. a. cixcicci. §. 3. id ad*  
*scripta, quae doctrinae christianorum communi aequa ac Paci*  
*Religionis August. aduersantur, aut calumnias spargunt et li-*  
*bellorum famosorum faciem prae se ferunt, iustissima ratione*  
*extendit. Tandem *Carolus VI.* in *Editto* d. a. cixcicci. reli-*  
*quis librorum noxiorum et prohibitorum generibus eos quo-*  
*que, qui doctrinas legibus Imperii fundamentalibus contrarias*  
*continent, adnumerauit, eorumque usum et promulgationem*  
*in Germania serio interdixit.*

### §. XI.

#### e) *De inferiorum magistratum cura.*

Vt vero haec omnia legibus laudatis prae scripta rite et  
iuste obseruentur in Germania, accurata cura in iis custodien-  
dis atque vigilancia circa abusus rei librariae, autores, typ-  
ographos, librorum mercatores, omnesque personas circa mer-  
caturam librorum occupatas, magistratibus et omnibus, qui  
imperio ciuili in Germania prae sunt, *Recessu Imp. Norimb.*  
*d. a. cixxcicci. §. 28. Ordinat. Polit. Imp. August. d. a.*  
*cixxcicci. Tit. XXXIV. §. 3. Recessu Imp. Spirensi d. a.*  
*cixcicci. §. 154. Ordinat. Polit. Imp. Francosurt. d. a.*  
*cixcicci. Tit. XXXV. §. 3. quam maxime commendatur, ac*  
*visitatio improuisa officinarum typographicarum omnium secun-*  
*dum §. 159. Recessus Imp. Spirensi d. a. cixcicci. ab iis exigi-*

tur, ita quidem, ut magistratibus, qui curam a nobis iam descriptam hac in re prorsus omittant aut saltem negligant, cit. *Recessu Imp. Spirenſi d. a. c151c15xx. §. 159.* et *Ordinat. Polit. Imp. Francoſ. d. a. c151c15xxvii. Tit. XXXV. §. 4.* poenae conſtituae deprehendantur.

### §. XII.

#### ii) *De legibus Saxoniae electoralis, et quidem:*

##### a) *De censura.*

Locis igitur ad rem librariam ſpectantibus ex Imperii legibus recenſitis, quid Iure Saxonico de hac re cautum, paucis proponere verbis, noſtrum nunc eſt. Iterum cum censura propter eius in re libraria praeftantiam initium faciamus. Primum eius veſtigium, quod in legibus Saxoniae noſtrae publicis conſpicimus, ineſt *Mandato AVGVSTI*, Electoris Saxoniae d. a. c151c15xii.<sup>a)</sup> quo vllum scripturae genus in terris Saxoniae ſine praeuia censura typis exprimere et promulgare in vniuersum feueret veritum. Quae ſanctio poſtea aliquoties variis Mandatis atque Rescriptis a. c151c15xi. c151c15xxxiii. c151c15xxxvi. c151c15xxi. et c151c15xxvii. repetita fuit.<sup>b)</sup> Ipsum vevero censendi officium ex mente commemoratarum legum ad utramque academiam, Lipſienſem et Wittebergenſem, inque primis ad eiusque facultatis Decanos pertinet, exceptis tamen carminibus, quae extra has vrbes alibi imprimuntur, quippe a cuiusuis loci Superintendentे antea inficiendis, nec non cauſis arduis et maxime dubiis, de quibus Cenſores ad Supremum Senatum Ecclesiasticum referre debent. Ceterum cenſores, ut in certum factae cenſurac testimonium nomina sua

<sup>a)</sup> In Cod. Aug. T. I. p. 405. seq.

<sup>b)</sup> Ibid. p. 407. sq. p. 413. sq. p. 415. sqq.

sua libris subscriptibant omnemque in censendo curam adhibeant,  
ne quid religioni, iuribus reipublicae ac potissimum commo-  
dis Serenissimae Domus Saxonicae electoralis, aut bonis mo-  
ribus contrarium typis euulgetur, grauioris poenae commi-  
natione adiecta, iisdem legibus, praesertim d. a. c151c161.  
c151c161xxv. et c151c161xvii. admonitos videmus.

### §. XIII.

#### b) *De typographicarum officinarum institutione, et typopo-* *graphorum officio.*

Circa instituendas vero et administrandas officinas typographicas, ad quas iam nos conuertimus, in Saxonia electori-  
ali ad normam legum, quas antecedente §. laudauimus, ea-  
dem obtinent, quae ex constitutionibus Imperii obseruanda  
§. VII. tradidimus. Inprimis omne typographiae exercitium ex-  
tra Wittebergam, Lipsiam et Dresdam *Mandato* d. a. c151c161xxi.<sup>5)</sup> prorsus interdictum fuit. Propria quoque iurisurandi for-  
mula *Mandato* d. a. c151c161xvii. supra citato iis praescri-  
pta est.<sup>b)</sup> Neque hoc loco praetereunda cum peculiaris  
*Ordinatio typographica (Buchdrucker-Ordnung)* ab Electore  
CHRISTIANO II. a. c151c161.proposita:<sup>c)</sup> tum lex de aestiman-  
dis

a) In *Cod. Aug.* T. I. p. 407. Commemoratu digna est additio, quae in  
exemplo huius constitutionis authentico et sigillo electorali munito,  
quod in Ampissimi Senatus Lipsiensis tabulario feruatur, manu adsciri-  
pta reperitur his quidem verbis: *aus Annaburg im Hofflager:* in quam  
feliciter arcem eius Elektor AVGVSTVS saepius fecedere solebat. Quod  
additamentum cum legibus Imperii, quae in omnibus locis, vbi princi-  
pes fedes constituerunt, artis typographicae usum omnino permittunt,  
amicis conspirant. Nec alia videatur esse causa eiusmodi officinarum,  
quas paucissim in nonnullis aliis Saxonie vrribus, vbi olim curiae princi-  
pales floruerunt, adhuc reperire licet.

b) Formulam hodie in hac vrbe receptam in sequenti sectione afferemus.  
c) Ea, forma maxima patente impressa, in Codice Augusteo desideratur.

=====

dis typographicis operis (*Buchdrucker-Taxe*) a. **CIOICXXIII.**  
scripta,<sup>d)</sup> cuius postremae tamen hodie ob rerum pretia val-  
de aucta nullum amplius esse vsum, res ipsa loquitur.

#### §. XIV.

- c) *De librariorum officio:* et
- d) *De libris prohibitis.*

Ad librarios porro quod attinet, eadem fere, quae le-  
ges Imperii de iis sanxerunt, principum nostrorum editis,<sup>a)</sup>  
quorum antiquiora pleraque supra iam indicauimus, repetita  
occurunt. Inprimis autem commemoranda venit nouissima  
et sapientissima lex rei librariae eiusque commercii in his ter-  
ris iuuandi gratia a. **CIOICCLXXIII.**<sup>b)</sup> lata, vnde sequentia  
hic annotasse sufficiat.

1) Omnem furtiuam librorum alienorum sive priuilegio  
munitorum, sive minus, impressionem omnino prohiberi, dum-  
modo librarius, qui nullum priuilegium impetravit, nec, quod  
eandem vim habet, librum suum apud Commissionem librariam  
Lipsiensem inscribi curauit, proprietatem sibi legitime acquisi-  
tam, et, siquidem peregrinus sit, idem ius nostris ciuibus in  
eius patria tribui, demonstrauerit.

2) Eadem prohibitionem etiam ad quodus commercium  
librorum alienorum furtim impressorum his in terris  
pertinere.

3) Vtrique delicti generi, praeter exemplarium publica-  
tionem, multam quinquaginta imperialium, quorum pars  
dimidia fisco Principis, altera vero laeso cedit, statutam esse.  
Plura

d) In Cod. Aug. T. II. p. 805.

a) Quae videsis in Cod. Aug. T. I. p. 405-418.

b) *Mandat den Buchhandel betreffend* d. d. 18. Decembr. 1773. Insertum  
legitur ill. RÜTTERI libro *vom Bücher-Nachdr.* p. 190. sqq.

Plura ad officia et iura librariorum, in primis quoad priuilegiorum conservacionem rectumque usum, spectantia in postrema sectione proponendi locus erit. Tandem de libris prohibitis deque eorum commercio sub poena cauendo leges nostrae saepius laudatae eadem cum constitutionibus Imperii pracepta continent.

### §. XV.

#### e) *De cura circa rem librariam inferioribus magistratibus legibus Saxoniciis imposita.*

Etsi ipsa publica in rem librariam apud nos inspectio supremis principis collegiis, praesertim Summo Senatui Ecclesiastico propria omnino censenda, adeo ut praeter haec collegia eosue, quibus ea suam potestatem delegarunt, nemo illam sibi vindicare possit, sunt tamen quaedam eius partes expressis adeo legibus<sup>2)</sup> inferioribus magistratibus relatae. Quo praeter ea, quae circa singularem cuiusvis loci politiam versantur, in primis partim diligens cura, ne libri improbatae lectionis aut illicite atque furtive recusi in commercium veniant, partim ipsa priuilegiorum et poenarum ibi constitutarum aduersus violatores executio celerrima, vna cum parati laesis contra quoscunque furtiuos librorum impressores auxiliis praestandi facultate et officio, pertinet. Quae omnia tamen ita temperanda sunt, ne quis magistratus inferior peculiari concessione hanc in rem hanc instructus, fines executionis forte excedens, potestatem de ipso priuilegiorum iure litibusque super eorum interpretatione, extensione, restrictione, et quae sunt similis generis, ortis, quippe ipsius principis eiusque

a) *Resolut. Grauam.* d. a. 1661. *Tr. v. Inst. Sach.* §. 81. in *Cod. Aug. T. I.* p. 139. *Mandat den Buchhandel betr.* d. a. 1773. §. I. et IV.



que collegiorum iudicio referuatis, cognoscendi potestatem  
sibi arrogare audeat. <sup>b)</sup>

### SECTIO III.

#### DE PVBLICA REI LIBRARIAE CVRA IN CIVITATE LIPSIENSI.

**E**xplicatis igitur breuiter et ex virium imbecillitate iis, quae partim iuris publici vniuersalis aequa ac prudentiae civilis praecepta in re libraria constituere suadent, partim leges Imperii nec non Saxonie electoralis hac in re vere sanxerunt, nunc vberius recensenda ac enarranda sunt omnia, quae in primis Lipsiae circa curam rei librariae publicam locum obtinent. Cum autem ea singulari modo in vrbe nostra iam dudum vi legum publicarum, consuetudinum, atque paetorum inter I) *Electoralem Commissionem librariam*, II) *Academiam*, atque III) *Magistratum* vrbis diuisa sit; haec tertia Sectio in tria capita nobis commode secunda videtur, ita, vt primo: *Electoralis librorum Commissionis*, secundo: *Academiae*, ac tertio capite: *Senatus curam ac potestatem in rem librariam exponamus*.

#### CAP. I.

##### DE LIBRARIA CVRA ELECTORALIS LIBRORVM COMMISSIONIS.

###### §. I.

###### *Commissionis librorum Lipsiensis descriptio.*

Primum igitur de ipsa Commissione libraria a serenissimo principe hac in vrbe constituta, nobis dicendum est. De eius

b) *Rescript* d. a. 1636. in *Cod. Aug.* T. I. p. 411.

eius enim historia, natura, officiis atque iuribus, quae omnia hucusque per partes nondum accurate tradita sunt, cum ci-  
vem instituta publica vrbis, in qua commoratur, bene scire  
iuuet, paullo luculentius nunc differere, rem haud inutilem ar-  
bitramur. Est autem haec Commissio potestas a Supremo Sena-  
tu Ecclesiastico Dresdensi vni Professorum academie Lipsiensis  
aeque ac integro Senatus huius vrbis collegio, ad publicam rei  
librariae curam in hac ciuitate principis nomine exercendam  
delegata. Ex qua definitione patet, eam Supremo Senatu Ecclesiastico, a quo omnem suam potestatem accepit, absque  
medio subesse. Hinc non solum ex illustri illo principis colle-  
gio rescripta ad hanc frequenter mitti solent, sed haec etiam  
de caussis paullo grauioribus ac dubiis ad illud saepissime re-  
fert.

## §. II.

### *Historia institutae Commissionis.*

Sed ut iusto ordine dissertatio nostra procedat, antequam de ipsis Commissionis indole sermonem instituamus, historiam eius, quantum in hac obscura via fieri potest, narrare co-  
nemur. Olim quidem nullam fuisse Commissionem perpe-  
tuam,<sup>a)</sup> sed in quibusuis causis singulis obuenientibus dele-  
gationem pro re nata factam esse, nos docent varia peculiaria Rescripta, partim inedita, partim edita, inde a medio seculo  
XVI. de singulis rebus ad rem librariam Lipsiensem pertinen-  
tibus concocta: ex quibus hoc discimus, eiusmodi negotia vs-  
que circa finem fere superioris seculi mox soli Senatui, mox  
vniuersae Academiae ac Senatui simul, mox vni aut pluribus

F 2

Pro-

a) Haec occasione non possumus non mentionem iniicere *Mandati*, quod Carolus V. Imp. de nulo libro sine censura typis exarando, a.  
cypio xl.v. Lipsiae affigi curauit, teste *VOGELIO Annal. Lipsiensi p. 156.*



Professoribus vna cum Senatu, prout principi visum, commis-  
sa fuisse. Prioris generis, vt cuiusuis classis aliquot exempla  
afferamus, sunt: 1) *Rescriptum MAVRITII* Duci Saxoniae, ele-  
ctorali dignitate tum nondum ornati, ad Senatum Lipsiensem  
mense Maio a. c*1510*<sup>c</sup>*1516*. datum, quod, cum nullum vetu-  
stius et certius vestigium Commissionum de re libraria in no-  
stris terris, quantum nobis constat, haec tenus repertum sit,  
tanquam anecdotum propter antiquitatem infra<sup>b)</sup> adiecimus, vna  
cum 2) *Rescripto* eiusdem Principis ad Senatum mensē Septem-  
bri dicti anni emissō. 3) Aliud eiusdem *Rescriptum* etiam ad Se-  
natum datum a. c*1510*<sup>c</sup>*1519*. <sup>c</sup>) 4) *Rescriptum* AVG<sup>V</sup>STI Elect.  
ad Senatum d. a. c*1510*<sup>c</sup>*1514*. 5) *Rescriptum* IOANNIS GE-  
ORGII I. Electoris d. a. c*1510*<sup>c</sup>*1517*. Alterius generis exem-  
pla, tutelae nempe rei librariae vniuersae Academiae ac Senatui  
quandoque coniunctim demandatae, inuenimus v. c. in *Rescri-  
ptis* a CHRISTIANO II. a. c*1510*<sup>c</sup>*1517*. nec non a IOANNE  
GEORGIO I. a. c*1510*<sup>c</sup>*1513*. et c*1510*<sup>c</sup>*1514*. ad vniuersitatem  
Lipsiensem et Senatum simul datis. Denique hanc librorum  
curam nonnumquam olim in singulis causis vni aut pluribus  
Professoribus atque Senatui vna delatam fuisse, ex *Rescriptis*  
AVGVSTI d. a. c*1510*<sup>c</sup>*1519*. de librorum Flacianorum supre-  
fessione; IOANNIS GEORGII I. ad Facultatem Theologicam et  
Senatum d. a. c*1510*<sup>c</sup>*1514*. IOANNIS GEORGII III. d. a.  
c*1510*<sup>c</sup>*1584*. <sup>d)</sup> multisque aliis, quae ipsa Commissio libra-  
ria in tabulario in curia Senatus adhuc seruat, intelligitur.  
Tandem vero *perpetua Commissio* instituta a. c*1510*<sup>c</sup>*1587*.  
et vni ex Professoribus Academiae atque huius vrbis Senatui  
ita delata, vt quicquid in posterum Lipsiae in re libraria occur-  
reret, quod publicam curam et inspectionem exigeret, id ab

iis

b) Vid. *Appendix* num. I.c) Quod prostar in *Cod. Aug.* T. I. p. 406.d) *Ibid.* T. I. p. 414.

iis coniunctim expediretur, nec amplius in singulis causis obvenientibus peculiaribus rescriptis principis ad eam demandandam opus esset: qua quidem ratione eadem adhuc durat.<sup>c)</sup>

§. III.

*Personae ad Commissionem librariam pertinentes sunt:*

a) *Principales.*

Personae, quae circa negotia ad hanc Commissionem spectantia occupantur, duplicitis sunt generis. Aut enim ipsam potestatem a principe delegatam tenent eiusque nomine exercent, aut inserviunt iis, qui hac potestate gaudent, in administrando officio, eorumque iussus expediunt. Illos *principales* personas, hos *accessorias* vocare liceat. Principales sunt ipsi Commissarii, quorum alter e Professorum huius literariae universitatis numero a supremo Senatu Ecclesiastico ad dies vitae constitutus, directorum Commissionis habet, eamque ob causam literis Commissionis nomine expediendis nomen suum primo loco subscriptabit, et *Commissarius librorum electoralis* in primis dicitur. Primus horum Commissariorum perpetuorum fuit D. VALENTINVS ALBERTI, Theologiae Professor.<sup>a)</sup> Reliquorum, qui inde usque ad praesens tempus huic muneri praefuerunt, nomina, quia a nemine congruo ordine collecta et commemorata sunt, infra adiecimus.<sup>b)</sup> Secundi vero Commissarii personam ipsum Collegium amplissimi in hac urbe Senatus sustinet, quod in singulis Commissionis conuentibus vires suas per ordinis sui Deputatum ex numero eorum, qui tunc temporis annuam urbis administrationem gerunt, (aus

F 3

dem

e) Vide *Rescriptum* d. d. 7. Nouemb. a. CICIOCLXXXVII. in *Append.* num. II.

a) Vide *Rescript.* cit. d. a. CICIOCLXXXVII.

b) *Append.* num. III.



*dem sitzenden Rathe*) qui tamen ea, quae in ipso conuentu acta sunt, ad Senatum (*in die Rathsstube*) referre debet, administrari curat. Quod subdelegati officium etsi cum certa persona non omnino coniunctum est, solet tamen nonnumquam fieri, ut Senator semel eo functus saepius ad eiusmodi negotia Senatus nomine gerenda mittatur. Reliquae vero extra ipsum Commissionis conuentum obuenientes causae, et in quibus vtriusque Commissarii subscriptio et obsignatio literarum requiritur, v. c. relationes ad principem facienda, literae patentes ad bibliopolasmittendae, intuitu Senatus generali hac formula: *Der Rath zu Leipzig*, subscriptae expeduntur. Ceterum directorium actorum ad Senatum pertinet. Quapropter et ipsa Commissionis acta in curia seruantur, et conuentus eius (*Sessiones*) ibidem, plerumque in conclavi tributis ciuijum recipiens destinato (*Schoß-Stube*) habentur.

#### §. IV.

##### b) Accessoriae: in his:

###### a) Inspector librorum.

Inter personas *accessorias* Commissionis librariae primo loco nominandus est *Inspector librorum*, siue, vti olim vocatus est, *Fiscalis librorum*, ad insinuationem priuilegiorum et alia, quae siue priuilegiorum causas, siue cetera negotia curae Commissionis demandata concernant, huius iussu expedienda constitutus. Olim quidem insinuatio priuilegiorum librariis facienda, certae personae publici et perpetui muneris instar propria haud erat, sed ea potius a quocunque Notario pro re nata peragebatur. Postea autem, vt insinuationes maiori cura ac diligentia perficerentur, et priuilegia melius custodirentur,imus *Fiscalis librorum Rescripto principis*<sup>\*)</sup> anno cccc lxxxiii.

pu-

\*) Vide in *Append.* num. IV.

publice institutum est, GOTHOFREDO LANGIO, Senatui tum ab actis, primo librorum Fiscali facto. Cum autem nomen Fiscalis librarii valde odiosum, immo abominabile videretur, illud rogante DAVIDE BITTORFIO, qui tunc huic officio prae-erat, cum titulo *Inspectoris librorum*, nostra adhuc aetate con-fuetu, principis gratia<sup>b)</sup> a. 1515*CCXXII.* commutatum fuit. Modus vero procedendi hodiernus in instituendo librorum Inspectore talis est. Solet vni ex Actuaris aut Registratori-bus senatoriis, interdum ei, quo antea Commisso in confi-ciendis actis vsa est, praeuia denominatione ab ipsa Commis-sione facta, a Summo Senatu Ecclesiastico hoc munus singula-ri rescripto conferri. Post eius particeps factus, traditur ipsi Commissionis nomine scripta officii sui regula (*Instruction*) a principe approbata et Commissariorum sub-signatione munita, ad quam seruandam ille iureuando se obstringit.<sup>c)</sup> Tandem noui Inspectoris constitutio omnibus librariis, typographis et primariis bibliopegorum magistris (*Obermeistern der Buchbin-der*), cum in hac vrbe habitantibus, tum peregrinis Lipsiae commercia exercentibus, nundinarum vel vernalium vel au-tumnalium tempore ab ipsa Commissione per literas patentes (*Patent*), quibus illi subscrivere debent, significatur, addita admonitione, vt concessa ipsis in posterum priuilegia sine mora nouo librorum Inspectorri insinuandi gratia offerant eique iustum exemplarium numerum, quem singula priuilegia desi-derant, tradant. Ceterum, vt de huius instructionis, quae officii normam Inspectorri librorum praescribit, vicissitudinibus

pau-

b) *Rescriptum ipsum in Append. num. V. legitur.*

c) Quod cum olim non fieret, *Rescripto d. d. 20. Iulii a. 1515*CCXXIII.**  
expresse iussum est, proposita simul frequenti iurisjurandi formula: *Icb  
N. N. schwore, das ich derjenigen Instruction, so mir wegen meiner Ver-  
richtung ausgestellt; und zu durchlesen übergeben worden, und ich wohl  
verstanden, treulich nachleben und wissenschaftlich dartzieder nicht ihun oder  
handeln will; So wahr mir Gott helfe, und sein heiliges Wort.*



pauca adiciamus, antiquioribus temporibus ea breuissima erat, quippe *Rescripto d. d. 1. Decembr. a. CICCLXXXIII.*<sup>d)</sup> et alio similis fere argumenti *d. d. 3. Decembr. a. CICCLXXXIII.* comprehensa. Sed postea peculiaris et paullo amplior instru<sup>ctio</sup>, supremo Senatu Ecclesiastico *Rescripto d. d. 16. April. a. CICCCXXIII.* ita iubente, a Commissione confecta, et istius collegii *Rescripto d. d. 30. Jul. eiusdem anni approbata fuit.* Anno autem *CICCCXLIX.* nouam et ex mandatis paullatim de re libraria propositis longe auctiorem compositam ac *Rescripto d. d. 20. Aug.* dicti anni confirmatam deprehendimus. Hanc alia recentior et mutata per *Rescriptum d. d. 3. Nou. a. CICCLXXIII.* secura est: cui tandem per occasionem constitutionis praesentis librorum Inspectoris ex *Rescripto d. d. 11. April. a. CICCLXXVII.* nonnulla accesserunt: quam postrem, ut nouissimam, sub finem libelli repraesentauimus. <sup>e)</sup>

### §. V.

#### *De eius officio.*

Maxima autem pars officii Inspectoris librorum in eo consistit, ut libros vel priuilegio vere munitos, vel in vim priuilegii publice annotatos in codices (*Protocollo*) referat; ipsam publicam librorum annotationem, quae instar priuilegii sit, et de qua infra plura dicemus, potentibus, quorum interest, librariis accurate ac sine mora faciat; ipsa priuilegia vel annotationes factas reliquis librariis rite insinuet; iustum exemplarium numerum librorum priuilegiis ornatorum vel annotatorum exigat; iussu Commissionis crebra bibliopoliorum visita<sup>tione</sup> fraudes priuilegiis illatas impedit, et furtivas priuilegiatorum librorum recusiones supprimere studeat; librorum

pro-

d) In *Append.* num. IV.

e) In *Append.* num. VI.

prohibitorum aut illicite recusorum confiscationem, aut quae sint huius generis alia, diligenter expedit. Quae omnia vna cum ceteris rebus, quibus hoc munus absoluitur, praeter antiquiores leges rem librariam Lipsiensem attingentes, potissimum partim in ipsa eius *Institutione* supra laudata,<sup>a)</sup> partim in *Mandato* d. a. 1710 CCCLXXIII.<sup>b)</sup> nec non in *Rescripto* huius declarandi gratia d. 26. Nouembr. eiusdem anni emissio,<sup>c)</sup> repe-  
rire licet. Nos potiora capita paullo post, vbi de ipsa Commissionis potestate, quam ea haud raro per librorum Inspecto-  
rem exercet, disputabimus, yberius exponemus. Ceterum ne huic muneri certi reditus deessent, de quo olim magna  
querelae motae, non solum iam *Rescripto* d. d. 6. Maii a.  
1710 CCCLXXXIII.<sup>d)</sup> salarii causa constitutum, ut pro insinuatio-  
ne cuiuslibet priuilegii summa vnius aut maxime duorum im-  
perialium pro diuersa librorum conditione, a priuilegia-  
to praefarentur, verum etiam nouissime *Mandato* cit. d. a.  
1710 CCCLXXIII. pro singulis libris in publico indice in vim  
priuilegii annotandis (*Protocolliren*) honorarium quatuor gros-  
orum definitum est.

## §. VI.

### *B) De reliquis personis accessoriis.*

Post librorum Inspectorem inter personas Commissionis accessoria referendus venit *Actuarius seu Registrator*, actis in conuentibus Commissionis conficiendis occupatus, qui ex am-  
plissi-

a) In *Append. num. VI.*

b) *Mandat den Buchhandel betreffend* d. d. 18. Decembr. 1773. apud  
PÜTTERVM vom Bücher-Nachdr. p. 190. seqq.

c) Quod, quippe nondum typis vulgatum, in *Append. num. VII.* edi cura-  
vimus.

d) Vide *Append. num. VIII.*



plissimi Senatus Actuariis desumtus, non a supremo Senatu Ecclesiastico, sed a Senatu, directorium actorum exercente, huic officio praeficitur. Denique occurrit *Apparitor*, qui plerumque primus funerum in hac vrbe scriba, vulgo *der Oberleichenſchreiber*, esse solet, cuius opera in citandis partibus, aut exequendis mandatis Commissionis, v. c. in confiscatione, ablatione et obſignatione librorum prohibitorum aut suspectorum, maxime necessaria conficitur.

### §. VII.

*De potestate et officio Commissionis respectu causarum; quo pertinet:*

#### a) *Cura circa librarium commercium.*

Hactenus de historia Commissionis et personis in ea occurrentibus. Nunc ambitum et limites potestatis, qua illa est instructa, monstrare lubet. In quo argumento ita versabimur, ut primum ipsa causarum et negotiorum genera, quae eius curae et inspectioni commissa sunt, et quomodo ab ea expediantur, consideremus, post de personis, quae et quounque ei subsint, dicturi. Quod igitur ad negotia Commissionis attinet, ea in uniuscunq; inuare debet commercium librarium, quantum fieri potest; hinc, iubente norma (*Regulativ*) saepius laudato *Mandato* de re libraria d. a. CIOICCLXXIII. annexa §. VII. ad principem celeriter referre, si aliqua impedimenta adesse animaduerterit, e. g. factionibus et dissidiis commercio librorum noxiis ortis: quo pertinent controuersiae nostra aetate inter quosdam bibliopolas exterorū ac domesticos de pretiis ac permutatione librorum agitatae; de quibus etiam Commissionem ad supremum Senatum Ecclesiasticum retulisse scimus. Quia propter quo magis rei librariae commoda augeantur, damnaque facilius evitentur, saepius in cit. *Regulat.*

*gulat.* §. VII. suasum, et librariarum, qui nundinas Lipsienses frequentare solent, arbitrio relictum, ut, si vellent, certum numerum Deputatorum ibidem definitum eligerent, qui non solum communem mercaturae librariae salutem curarent, et ea, quae huic inseruire intellexissent, Commissioni indicarent, sed etiam in caassis dubiis Commissioni desideranti confilia, ab hac pro re nata sequenda, suppeditarent.

### §. VIII.

b) *Cura circa priuilegiorum executionem et conseruationem,*  
*vbi primum:*

a) *De priuilegiorum insinuatione.*

In primis autem vigilare oportet Commissionem circa priuilegia exequenda, tuenda et conseruanda. Quod officium, cum latissime pateat, per partes exponere iuuabit. Facit hoc primum recepta cum ipsorum priuilegiorum super libris iam editis vel edendis imperatorum, tum annotationum eiusmodi librorum in publico Commissionis indice in vim privilegii factarum, de quarum ratione paullo post videbimus, insinuatio. Scilicet cum ipsa priuilegiorum natura doceat, iis nec alios ignorantes obligari, nec poenas ibi statutas violatoribus, qui nullam eorum notitiam vnam habuerunt, aut facile habere potuerunt, iuste irrogari, necesse profecto est, ut priuilegium a librario imperratum aut annotatio eo petente instar priuilegii facta<sup>a)</sup> ad notitiam reliquorum librariorum ac typographorum, qui opus tale recudendo illud violare facile possent, publica auctoritate perducatur: qui actus *insinua-*

G 2

*tio*

a) Nam huius quoque insinuandae necessitatem Serenissimus Legislator in cit. Regular. Mandat. d. a. CIOICCLXXIII. adiecto §. VI. expresse agnouit.



*tio priuilegorum* vocatur. Hanc vero sub Commissionis librariae auspiciis solus Inspector librorum, (nam ab aliis facta ex *Rescripto d. a. 1510 CLXXXI.* <sup>b)</sup> inutilida et plane nulla censenda) sive ad iussum Supremi Senatus Ecclesiastici hanc ob causam ad Commissionem rescribentis et quandoque priuilegii literas, vt impetranti tradantur, vna transmittentis, sive, vt plerumque fit, ad preces priuilegiati, qui ipsum authenticum priuilegium (*Original- Privilegium*), vel saltem testimonium de concesso et nondum in sollempnium litterarum formam redacto priuilegio (*Privilegiens-Schein*), cuius alterutrius descrip<sup>c)</sup>to fide publica munita (*vidimurte Copie*) in peculiari priuilegiorum codice (*Protocollo*) ab Inspectore librorum ante omnia facienda, simul exhibuit, intra nundinas vernales et autumnales omnibus praesentibus librariis atque typographis, cum ciuibus, tum peregrinis, (interdum etiam primariis huius loci bibliopegis) per literas patentes <sup>d)</sup> a saepius commemorato Inspectore subsignatas et ab hoc ipso circumferendas iisque, quos nominauimus, tradendas significat; licet ob multitudinem quotannis impetratorum priuilegorum et annotationum factarum omnes libri, quotquot a proxime praeteritis vsque ad praesentes nundinas, quibus insinuatio fit, hac ratione muniti sunt, iisdem literis simul et coniunctim insinuari soleant; nisi forte iustus priuilegii possessor extra nundinarum tempus publicam insinuationem petierit. Quo certius autem de perfecta insinuatione constet, et omnes, quibus ea facta, literis patentibus nomina subscribere tenentur; et memoriae causa exemplum catalogi horum librorum typis impressi <sup>d)</sup> cuius relinquitur; et inspector librorum eius rei notitiam (*Registratur*)

vna

b) In *Append. num. VIII.*c) Formam eiusmodi literarum patentium (*Insinuations-Patent*) vide in *Append. num. XIII.*

d) Inscriptionem eiusmodi indicis vide apud RÜTTERVM I. c. pag. 188.

vna cum ipsis literis patentibus authenticis atque exemplari  
indicis librorum, quorum priuilegia his nundinis promulgata  
sunt, peculiaribus actis (*Insinuations-Protocollo*) inserit, ei, cu-  
ius interest, desideranti testimonium <sup>e)</sup> inde exhibiturus.  
Quodsi contingat, (saeppe autem accidere cognouimus) vt libra-  
rius, nomen subscribens, de vno vel altero concessorum et in-  
sinuatorum priuilegiorum sibi noxio protestetur, Inspectoris  
est, hanc declarationem, ni iam ab illo nominis subscriptio-  
ni, vt plerumque fit, statim adiecta fuerit, diligenter anno-  
tare: quod saltem hunc habet effectum, vt eius subscriptio  
neque pro tacito consensu in priuilegium, neque pro tacita  
renunciatione iuris sui melioris, si tale postea probare vellent,  
haberi possit. <sup>f)</sup>)

### §. IX.

#### *β) De publica librorum in vim priuilegii annotatione.*

Alterum negotiorum circa priuilegia Commissioni man-  
datorum genus ad publicam librorum annotationem in vim  
priuilegii faciendam spectat. Etenim *Mandato* de re libraria  
a. ccccccclxxiiii. promulgato et saepius laudato hoc its sin-  
gulare inuestitum, vt, si quis librarius opus suis impensis editu-  
rus, solemne priuilegium petere nolit, ius priuilegio aequale  
per publicam libri inscriptionem sive annotationem in pecu-  
liarem indicem, hunc in finem sub Commissionis auspiciis a li-  
brorum Inspectore conficiendum et curandum, (*Einzeichnen in*  
*ein Protocoll*) sibi ita comparare possit, vt iisdem effectibus,  
qui ex priuilegii concessione alias oriri solent, tunc per inte-  
grum decennium, ante cuius tamen lapsum ad illius preces

G 3

anno.

e) Formam talis testimonii exhibit *FÜTTERVS* l. c. pag. 187.

f) Pleraque de priuilegorum insinuatione dicta, in *Instructione Inspecto-*  
*ris in Append. num. VI. definita reperties.*



annotatione repetenda est, fruatur. Quia in re quomodo procedendum sit, et quibus conditionibus hoc ius singulare impetratur, cum in norma huic *Mandato* adiecta,<sup>a)</sup> rum in *Rescripto* eius illustrandae causa d. 26. Nou. a. CICICCLXXIII. emisso<sup>b)</sup> accurate definitum. Postiora eo redeunt, ut librarius vel auctor huius inscriptionis causa Inspectorem adiens ante omnia de legitima iuris tale opus imprimendi acquisitione, si quod de ea dubium forte nascatur, fidem faciat, et integrum libri titulum indicet; Inspector vero mox sine vlla mora petitam annotationem Supremi Consistorii sive Senatus Ecclesiastici Dresdensis Secretario nuntiet et, an ne forsitan alius iam illustre hoc collegium de priuilegio super eodem libro sibi largiendo prius implorauerit, (nam inter duos, quorum alter priuilegium Dresdae, alter inscriptionem publicam eiusdem operis coram Commissione libraria Lipsiensi petiit, sola temporis praerogativa spectatur) exploret: ac ex huius responsione, tale quid antea non contigisse, intelligens, nunc demum precibus librarii vel auctoris satisfacturus, librum designatum in codicem publicum (*Protocollo*) referat, et hac ratione ipsam annotationem priuilegii instar futuram, perficiat. Conditiones autem, quibus hoc publicae inscriptionis iure muniti adstringuntur, cum iis, quae priuilegiis inseri solent, fere convenient, v. c. vt opus nitide excudatur; nomen eius, qui illud suis sumtibus imprimi curat, adiiciatur; ipsa editio ultra annum non differatur; certus exemplarium numerus Commissioni tradatur; mentio priuilegii in ipso titulo fiat, et quae sunt reliqua. Praeterea Commissioni iniunctum, vt et singulis trimestribus librorum, ea, quam descripsimus, ratione annotatorum

rum

a) Regulativ: wie das von der Bücher-Commission zu führende Protocoll einzurichten, apud PÜTTERVM l. c. p. 192. sqq.

b) In Append. num. VII.

rum, catalogum ad supremum Senatum Ecclesiasticum transmittat, eorumque insinuationem (de qua superiori §pho dictum) nundinarum tempore fieri curet.

### §. X.

#### γ) *De iure circa cessionem priuilegiorum.*

Priuilegia, quae a librariis acquiri vidimus, ab iisdem haud raro aliis cedi, quotidiana docet experientia. Quod et si iis siue in loco iudicij siue extra illum peragere licet, tamen vt eiusmodi monopolii in alterum translatio in caussis coram Commissione libraria ventilandis valorem habeat et auctoritatem, omnino opus est, vt non solum Supremi Senatus Ecclesiastici confirmatio accesserit, sed etiam ipsi Commissioni, quo haec sciat, quis hoc vel illo priuilegio gaudeat, cessionis copia facta fuerit.

### §. XI.

#### δ) *De cura et potestate circa priuilegiorum violationem.*

Alia eaque haud vltima Commissionis cura et potestas cernitur in priuilegiorum conseruatione contra violaciones, quae quidem ad duo genera commode referuntur. Aut enim ab iis, qui ea impetrarunt, conditiones adieatas non adimplentibus, vel iisdem alio modo abutentibus; aut ab aliis librariis furtiva et illicita librorum illis munitorum recusione committuntur. Prioris generis, vt huius aliqua exempla hoc §pho recenseamus, est v. c. negligentia librarii, editionem operis, cuius monopolium consecutus est, vel plane intermittentis, vel intra iustum tempus (quod, ni in ipso privilegio aliter expressum, ex nouissima lege vnius anni spatio absolvitur) haud pro parte faltem curantis: quae ex *Mandato*

*de*



*de re libraria d. a. CICIOCCCLXXXIII. §. VI. et Regulat. adiecto*  
 §. II. nec non *Rescripto d. a. CICIOCCCLXIII.*<sup>a)</sup> amissione pri-  
 vilegii punitur. Eadem priuationis poena, pro re nata, po-  
 sita est iis, qui libros priuilegiatos mendoſe ac in paullo vilio-  
 ri charta, aut minus paruo exemplarium numero, impriment;  
 malae ac vitiosae versionis editione melioris publicationem impe-  
 diunt; pretia iusto maiora et valde iniqua libris, inprimis ad  
 sacram vel scholasticum vsum destinatis, conſtituant; nomen  
 suum in fronte libri omittunt, aut generali et prohibita socie-  
 tatis librariorum appellatione vtuntur; qui denique legitimum  
 exemplarium numerum Commissioni, per quam ea ipsius li-  
 brarii impensis ad Supremum Senatum Ecclesiasticum transmit-  
 tantur, haud tradunt.<sup>b)</sup> His igitur et similibus priuilegio-  
 rum violationibus, quarum impetrantes reos se faciunt, Com-  
 missio secundum legum mentem diligenter inuigilare, et de  
 obuenientibus ad Supremum Senatum Ecclesiasticum referre,  
 praesertim vero exactionem ac transmissionem exemplarium,  
 quae a librariis ob priuilegii concessionem debentur, qua in  
 re praecipua opera librorum Inspectoris cernitur, curare debet.

### §. XII.

#### *Continuatio.*

Alterum factorum, quibus priuilegorum sanctitas viola-  
 tur, genus furtuae et illicitae contra eorum prohibitionem fa-  
 ctæ librorum recusiones efficiunt, cuius quidem delicti non  
 mi-

a) Quod legitur in *Append. num. X.*

b) De his abusibus vid. *Rescriptum d. a. CICOCIX.* in *Cod. Aug. T. I.*  
 pag. 410. *Mandatum d. a. CICOCCLXXXVI.* ibidem pag. 413. *Re-  
 scripta d. a. CICOCXLVII.* ac d. a. CICOCCLXIII. in *Append.*  
*num. IX.* et *X.* *Mandatum cit. d. a. CICOCCLXXIII.* una cum *Regu-  
 lat.* adiecto.

minus participes sunt, qui eiusmodi exemplarium commercium vendendo aut alia quacunque ratione dolo iuuant. In his autem causis cognoscendi et legum transgressores puniendo potestatem, quando quid in hac vrbe committitur, Commissioni omnino competere, praeter morem dudum receptum, expressa verba *Mandati d. a. CIOICCLVIII. §. IV.* *Die Cognition in solchen Faellen soll zu Leipzig Unserer Bücher-Commission, anderwaerts aber der ordentlichen Obrigkeit jeden Orte zufestehen,* satis docent. Sed iuuat hoc loco ipsum procedendi modum, qui a Commissione hac in re seruari solet, breviter describere. Parte scilicet laesa, cuius ius ita violatum, exemplar illicite recusi libri, id quod, ut certum sit corpus delicti, requiritur, Commissioni offerente, Inspector librorum vna cum nuntio iurato eum in locum, vbi eiusmodi libros servari suspicio adest, se confert, horum traditionem statim vrgit, omnia perscrutatur, et reperta huius farinae exemplaria Commissionis nomine auferat. Praeterea, quo magis omnis via, libros furtive impressos in graue eorum, qui soli iustum eorum commercium nauci sunt, damnum disseminandi obstruantur, obseruantia receptum, ut moles librorum compactae (*Ballen*) in hanc vrbem illatae et ex transmittentium voluntate vltioris distributionis gratia hic aperiendae, in quas aliqua suspicio cadit, publica Commissionis auctoritate ab Inspectore librorum visitentur, atque, si quid illicite recusum ibi inuentum fuerit, id eodem, ut antea diximus, modo auferatur. De repertis vero exemplaribus deque poena ideo a priuilegiorum violatoribus eorumque sociis ea, quam in superiori sectione indicauimus, ratione secundum leges nostras sumenda postea ipsa quoque Commissione cognoscit. Quae tamen omnia ad mercium librariarum volumina, quae per terras Saxoniae tantum transeunt, haud trahenda sunt. Horum enim, etiam si furtive impressorum librorum exemplaria continere videantur,

H

sola



sola per has prouincias transportatio permissa,<sup>a)</sup> hac tamen lege, ne intra fines Saxoniae aperiantur: quapropter omnis fraudis cauenda gratia, publicis sigillis, in finibus Saxoniae demum tollendis, hic clauduntur.

### §. XIII.

#### *ε) An ius cognoscendi de litibus super priuilegiis ortis Commissione competit?*

An vero Commissio ipsa, quando lis de priuilegio et iniuste quaesito et sub - ac obreptitie impetrato oritur, ius cognoscendi habeat? responsione haud indigna quaestio videtur. Quam quidem ideo negandum censemus, quod talis cognoscendi facultas cum modo in concessione priuilegiorum seruando, ipsoque iure ea impertiendi, quo ea destituta est, maximam habet coniunctionem. Quemadmodum igitur dici nequit, Commissionem proprio ausu priuilegiorum potestatem sibi arrogare posse; ita nec iudicium super eiusdem exercitio, quippe ad quod omnis lis, quae de consecuti priuilegii iustitia atque valore inter duos librarios agitatur, reddit, ea sibi vindicare potest. Quam nostram sententiam in *Rescripto d. a. 1515CXXXVI.*<sup>a)</sup> vbi discriminis inter executiōnem priuilegii, et cognitionem atque decisionem in causis eius valorem concernentibus constituto, illa quidem magistris tribuitur, haec vero ad neminem praeter principem (hoc est, suprema eius Collegia) citra singularem eius concessionem pertinere afferitur, haud paruum praesidium inuenire arbitramur. Quam ob causam Commissionis esse putamus, de tali specie obueniente ad supremum Senatum Ecclesiasticum referre et huius expectare mandata.

Ni-

a) Vid. *Mandat d. a. 1515CCLXXIII.* §. V.

a) In *Cod. Aug.* T. I. p. 411.

Nihiloseius tamen nonnumquam supremum Senatum Ecclesiasticum in eiusmodi causis proprio motu relationem, vna cum adiecto de rei indele iudicio, a Commissione postulare, constat; quemadmodum, vt exemplo vtamur, fieri me-minimus a. 1510CCLXVII. in lite Varentrappii, bibliopolae Francofurtensis, cum Goebhardto, Bambergensi librario, su-per diuersis priuilegiis, quae quisque eorum de imprimenda STRVVII Iurisprudentia forensi impetraverat, quam tandem ita decisam esse nouimus, vt virique priuilegium ipsi semel concessum, in primis ob editionum cum intuitu formae, tum quoad additamenta diuersitatem, seruaretur.

#### §. XIV.

##### c) *Inspeccio aliqua et iurisdictione in publicam librorum censuram.*

Commissionis nostrae circa priuilegia iuribus hucusque descriptis, iam pauca de eius inspectione et iurisdictione in publicam librorum censuram placet commemorare. Hoc loco autem ante omnia distinguendum est inter ipsam librorum censuram (quae est penes academiam, et de qua infra Cap. II, agetur) ac inspectionem aliquam, ne sine censura quid imprimitur, nec non potestatem cognoscendi et animaduertendi in bibliopolas ac typographos, si quid sine censura impressum, vel venditum fuerit, quippe quae omnia ad Commissionis ambitum pertinent. Hinc ea non solum ius typographos et librarios per literas patentes admonendi, eos conuocandi, iis denuo leges praescriptas inculcandi, eorumque officinas visitandi habet, sed etiam in causis commemoratis librarios et typographos, licet tantum summarie, interrogat, et, si aliquid sine villa aut iusta censura impressum apparent, eos, qui se huius delicti participes fecerunt, vel ex arbitrio, vel secundum



dum normam a supremo Senatu Ecclesiastico, facta ad eundem relatione, praescriptam poenis afficit; ut ex innumeris exemplis, immo rescriptis de hac cura et vigilantia circa censuram diligenter seruanda, iisque, qui publicas de ea leges latae transgrediuntur, coercendis frequenter ad Commissionem missis satis intelligitur. Attamen hoc, quod de cognitionibus super censurae contemtu a Commissione instituendis, deque poenis ab ea infligendis diximus, tantum de summaria cognitione deque poenis pecuniaris capiendum est. Quando vero contra typographos ob periurium ab iis, sine censura imprimentibus, commissum inquisitio specialis instituenda, aut poena criminalis ab iisdem sumenda est, desinit Commissionis, quippe nulla iurisdictione criminali pollutis, potestas, et rem ad Praetorium urbanum iam deferri oportet.

### §. XV.

#### d) *Cura et potestas circa supprimendos libros noxios.*

Nunc quaedam de cura et potestate Commissionis in prohibendis et supprimendis libris iniuriosis, aut quamcunque aliam ob caussam noxiis, vel saltem suspectis dicenda sunt. Vbi quidem maxime differt sola prohibitio commercii alicuius scripti, ab ipsa eiusdem publicatione, licet utraque Commissionis auctoritate fiat. Illa scilicet ita peragitur, ut literis patentibus bibliopolis ac typographis non solum Lipsiensibus, verum etiam, si talis prohibitio in nundinarum tempus incidat, peregrinis tum hic versantibus, certi libri aut libelli distractio sub comminatione vel mulctae, quae pro re nata V. X. XX. XXX. immo L. imperialium esse solet, vel poenae publicacionis, vel arbitriae (*bey willkürrlicher Strafe*), vel quandoque, nulla poenae mentione facta, tantum seuere (*ernstlich*) interdictatur, ipsa tamen libri ita prohibiti exemplaria haud auferantur.

Hacc

Haec vero, nempe publicatio seu, ut vulgo vocant, confiscatio libri est actus, quo praeter distractionis prohibitionem omnia, quotquot in librariorum tabernis ac typographorum officinis reperire licet, eiusmodi libri exemplaria ~~adferuntur~~, quae postea obsignata vel apud Commissionem afferuantur, donec princeps, quid de iis fieri velit, rescripto significauerit, vel nonnumquam singulari eiusdem iussu statim ad summum Senatum Ecclesiasticum mittuntur.

### §. XVI.

#### *Continuatio.*

Iam de occasione aliquod scriptum vel prohibendi vel omnino fisco addicendi videamus; quae sane varia esse potest. Aut enim sit praeuius peculiari rescripto a Senatu supremo Ecclesiastico hanc in rem ad Commissionem dato, quo interdum (licet raro) huius loci bibliopolis simul hoc iniungitur, ut omnia exemplaria talis libri prohibiti, quae posthac forte aliunde ad eos mittantur, Commissioni, quae illa Dresdam ad illustre hoc, cuius, sicut quam saepissime, ita mox mentionem fecimus, Collegium transuehi curet, tradat; cum alias, ista clausula expresse non adiecta, exemplaria, post factam demum opusculi prohibitionem aliunde aduenientia, iis, a quibus acceperat, remittere cuiuslibet librario permisum sit. Aut Commissione sine singulari principis iussu proprio motu atque arbitrio eam, de qua diximus, prohibitionem vel ipsam adeo publicationem peragit. Etenim hoc non ultimum eius est officium, maximam curam adhibere et vigilantiam, ne scripta improbatae lectionis diuulgentur, sed potius, si talia forte in nostra vrbe comparuerint vel in eam irrepserint, absque vlla mora supprimantur. Aut denique petente eo, qui scripto iniurioso laesum se sentit, maxime si preces magi-

stratus vel integri collegii publici iniuria lacefitti accedant, haec suscipiuntur. Cuias rei memorabile exemplum nobis in mentem venit, quod GLAESENERVS, Theologus et Superius iuxta olim Hildesiensis, turbis excitatis in primis clarus, libro calumnioso<sup>3)</sup> in vulgus sparso a. 1515CCXLIX. dedit, cum rogatu Senatus Hildesensis, quippe grauissimis ibi lacefitti iniuriis, qui hanc ob caussam literas ad Commissionem misserat, illius suppressi gratia non solum omnes librariae tabernae Lipsienses ab Inspectore librorum inuiserentur, sed etiam titulus opusculi indici nouorum librorum nundinali (*Bücher-Mess-Catalogo*) inferi a Commissione prohiberetur.

### §. XVII.

#### *Continuatio.*

Prohibitione aut publicatione peracta duo adhuc a Commissione obseruari solent. Primum ut plerumque ad Senatum summum Ecclesiasticum saltem notitiae caussa rem referat, etiamsi neque speciali rescripto id iniunctum, nec aliquod forte dubium enatum fuerit. Deinde vi *Rescripti d. d. 28. Iulii a. 1515CCLV.*<sup>4)</sup> eadem quamcunque factam libri noxii confisctionem cum ei Facultati in Vniuersitate Lipsensi literaria, ad quam argumentum libri prohibiti spectat, ne forte huius censura sub - aut obrepticie impetretur, et censori catalogi nundinalis, ne inferatur, indicare debet.

### §. XVIII.

#### e) *Negotia extra ordinem mandata.*

Neque haec, quae hucusque de Commissionis librariae Lipsiensis iuribus, potestate ac muneris conditione exposuitur,

- a) Cuius inscriptio ita incipit: *Gründliche Beantwortung der falschen Achten, die wider mich D. Glaesenern und des unverantwortlichen und wider alle Rechte laufenden Leipziger Urthels etc.*
- b) Vid. in *Append.* num. XIV.

= = = = =

mus, sufficiunt. Etenim adhuc mentio facienda est negotiorum, quae ei nonnumquam extra ordinem a principe committuntur. Quorum vnum et alterum adiiciamus exemplum. Sic ortis a. c*1515*<sup>CCXXV.</sup> inter Caesaream librorum commissionem Francofurtanam et aliquos Lipsienses librarios dissidiis, ob aliquot cuiusuis operis commercii causa ad nundinas Francofurtenses allati exemplarium numerum, quem Commisso dicta ab his tanto rigore exigere studebat, ut clauderet renuentium tabernas, Senatus summus Ecclesiasticus relationem de huius causae indole deque argumentis Commissioni Caesareae opponendis a nostra Commissione postulavit. Ac nouissime a. c*1515*<sup>CCLXXVI.</sup> cum NEUMANNVS quidam Zittauiensis priuilegium super Diario historico sub Eccardi, incolae in Mittelherwigsdorf prope Zittauiam, nomine cognito (vulgo: das Eckardtische historische monatliche Tagebuch) falso usus praetextu sibi comparasser, Eccardus autem hac de re coram Senatu summo Ecclesiastico vehementer conquestus esset, Commissioni librariae Lipsiensi haec caussa delegabatur singulari *Rescripto d. d. X. Iun.* eiusdem anni hunc in modum: *Nachdem Wir nun euch zuvörderst in der Sache hiermit Auftrag zu thun gemeynet sind; Als ist Unser Begehrren, ihr wollet ernannten Neumann, was wider ihn, von Impetranten in angezogener Beylage vorgestellt worden, abschriftlich behörig communiciren, und ihm, dass er darauf bey euch seine Verantwortung und Erklärung thun solle, andeuten, nach dessen Erfolg aber von der eigentlichen Bewandnis der Sache euern Bericht mit unmasgeblichen Gutachten anhero erstatten.* Quam potestate in se translatam Commissione ita exercebat, ut non solum mandata de causa coram ea agenda ad Neumannum emitteret, sed etiam requisito hunc in finem Senatu Zittauensi, eadem illi insinuari curaret: quibus is parebat, donec lis tandem transactione decideretur.

### §. XIX.

2) *Quae personae subsint Commissioni.*

Tantum de variis causarum et negotiorum generibus, quae ad Commissionis librariae Lipsiensis pertinent. Iam re-  
censemus personas, quae eius iurisdictioni subsunt. In quem  
numerum referri debent:

1) Ipsi officiales, quibus Commissionis virtutur ad negotia ex-  
pedienda, utpote Inspector librorum, Actuarius, Apparitor,  
in causis nempe ad horum officium spectantibus. Hinc, ut  
exemplum proferamus, mortuo a. ~~1510~~ CCCXXIII. Davide  
*Bittorfo*, librorum tum Inspectore, heredibus eius, publicum  
librorum priuilegiatorum ac insinuatorum codicem (*Protocoll*)  
Commissioni tradere recusantibus, huius traditionem repetitis  
praeceptis, adiecta etiam V. imperialium mulcta, ipsis rescri-  
ptis principis annuentibus, a Commissione iniunctam esse co-  
gnouimus.

2) Bibliopolae non solum iure ciuitatis in hac vrbe gau-  
dentes, sed exteri quoque nundinarum tempore hic versantes,  
aut merces suas hue transmittentes et aliis commercii causa  
commitentes; nam et horum mandatarii (*Commissionairs*) ci-  
tationes insinuantur.<sup>1)</sup> Immo absentibus quoque, dummodo  
causa ex commercio eorum Lipsiensi originem habeat aut il-  
lud concernat, Commissionis praecepta aut principis rescripta,  
requisito domicilii eorum magistratu, insinuari solent; quem-  
admodum a ~~1510~~ CCCXXV. in controversia inter Fritschium,  
librarium Lipsiensem, et Krügerum, bibliopolam Giessensem,  
super iure Elementa Institutionum Heinecciana imprimendi  
mota, factum esse scimus, cum Commissionis rescripta principis  
Krtigero per academiam Giessensem, quae iurisdictionem in  
vrbis sua librarios exercet, hac non renuente, insinuari cu-  
raret. Attamen hoc, quod de librariis Commissionis iuris-  
dictioni subiectis diximus, de causis tantum priuilegiorum,  
aliis-

aliisque, quas Commissionis ambitu contineri, supra vidimus, oportet intelligi.

3) Typographi, at non alia ratione, quam librarii, v. c. ob neglectam censuram, de qua re supra.

4) An et in autores librorum iniuriosorum aut bonis moribus contrariorum vel alio modo noxiорum, cognitionem quandam habeat Commissione? quaestio sane admodum incerta, ac nondum absoluta est. Hoc tamen constat, vsu receptu, vt autores quoque ab ea citentur et summarie de rebus ad librum ipsum ejusque promulgationem proprie pertinentibus, examinentur, faltem cum in finem, vt v. g. quis auctor? an opus censurae publicae ante impressio- nem submissum? ubi et a quo typographo typis excusum? quoque loco ac modo, et a quibus librariis venditum aut diuulgatum sit? atque alia ad celarem libri suppressionem Commissioni scitu necessaria, appareant. Actionem vero de iniuria per tale scriptum personis quibusdam forte illata ante Commissionem neutiquam moueri posse, sed ad competens libri improbati auctoris forum pertinere, vt hic moneamus, vix opus esse censemus.

## §. XX.

### y) De modo procedendi apud Commissionem recepto.

Cum iam de potestate Commissionis deque rebus ac personis ei subiectis actum sit, reliquum est, vt modum in causis ac litibus, de quibus illa cognoscit, procedendi receptum breviter describamus. Scilicet cum in omnibus causis rem librariam concernentibus atque a Commissione dijudicandis ambages sollempnis processus et expressa lege<sup>a)</sup> prohibite deprehendantur, et nunquam ibi receptae fuerint, solent omnia summarie

a) Regulatio adi. Mandato d. a. CCCCCCLXXIII. §. VII.



marie tractari, ita quidem, vt partes plerumque non literis, sed oretenuit citentur, iisque auditis, et, si opus videatur, testibus (licet summarie tantum, solemnri probationale plane exule,) examinatis ac instrumentis (v. c. priuilegiis, cessionis literis etc.) breui manu exhibitis atque inspectis, res, vel transactione inter partes conciliata finiatur, vel, si id fieri nequeat et parum aut nihil dubii subesse intelligatur, statim ab ipsa Commissione, secundum leges, rescripta, priuilegia, obseruantiam et pacta decidatur: grauitate vero et ambiguitate causae exigente, ~~lent~~ termino, intra quem scriptis iura ~~c.~~ ~~accendere~~ partibus conceditur, ~~praeferro~~, aut acta ad harum terrarum dicasterium, quoicunque Commissioni libuerit, transmittantur, aut res ad supremum Senatum Ecclesiasticum referatur, et vel priori casu sententia lata, vim rei iudicatae nacta, vel posteriori rescriptum principis ad Commissionis relationem datum, ni forte ob interpositam appellationem noua relatione ad principem opus sit, quamprimum executioni mandetur.

De ratione autem, qua in prohibendis aut publicandis libris Commissione vtritur, supra, quod satis est, dictum.

## CAP. II.

### DE CURA ACADEMIAE PUBLICA IN REM LIBRARIAM.

#### §. I.

##### I. De censura librorum ei competente.

###### 1) Per quos exerceatur.

Praeter Electoralem rei librariae Commissionem, cuius indolem, personas, quibus constat, iura et officia haec tenus descripsimus, cum haud infimae partes publicae circa rem huius urbis librariam curae penes literarum vniuersitatem hic florentem et olim fuerint, et nunc sint, de his, vt altero huius se-  
ctio-

Cetionis capite agamus, officii nostri ratio postulat. In his abs-  
 que dubio eminet ipsa librorum imprimendorum censura,  
 quam non Commissioni, sed soli Academiae propriam esse, su-  
 pra iam monuimus. Duo autem momenta hic spectanda ve-  
 niunt, primum, per quas personas eam Academia exerceat;  
 alterum, qualis sit haec potestas. Quod ad primum attinet,  
 iam olim ipsi Magnifico Vniuersitatis Rectori censuram vindicata-  
 tam fuisse, ex claris verbis *Statutorum Academiae Cap. XXVI.*  
 apparet, quae sic se habent: *Magnis ac grauibus de causis sta-*  
*tutu*n* vniuersitatis scholasticae Consilium, omnes, qui posthac libros,*  
*aut cuiuscunque generis scripta edere voluerint, exemplum illorum*  
*bona fide Rectori offerre debere, qui de sententia eorum, ad quorum*  
*studium et profecti*m* cognitio pertinebit, edi aut permitte*t*, aut*  
*vetab*i*t. Si quis non obtulerit, aut contra interdictum Rectoris, li-*  
*brum scriptum*u*e suum alterius*u*e edi curauerit, florenor*u* quinqua-*  
*ginta multam soluit*o*. De libro autem seu scripto sc edito iudi-*  
*cium, et in autorem, si mereatur, animaduersio libera Consilii publi-*  
*ci erit. Postea variis Rescriptis, imprimis illo AVG<sup>STI</sup> Elec-*  
*toris d. i. Aprilis a. 1510<sup>LX</sup>. quod ad libelli nostri calcem*  
*repraesentauimus,<sup>a)</sup> cautum, vt omnia, quae Lipsiae imprime-*  
*rentur, amtea censurae Rectoris et quatuor Decanorum subi-*  
*cierentur. Sed hic cognoscendi modus, propter nimiam mo-*  
*ram cum eo coniunctam, dudum vsu exiit, neque nostra aeta-*  
*te amplius seruatur. Sane si IOANNIS GEORGII II. Electoris*  
*Rescriptum d. a. 1510<sup>CLXI.</sup><sup>b)</sup> accurate inspexeris, intelliges,*  
*ex ipsa Principis mente iam tum sufficisse, vt academia per*  
*certas personas librorum censuram fieri curaret. Itaque hodie isto*  
*munere primum funguntur Decani trium superiorum Faculta-*  
*tum, Theologorum nempe, I<sup>C</sup>torum, (apud quos Decani po-*

## I 2

testas

a) In Append. n. XV. conf. Rescripta d. a. 1510<sup>LXII.</sup> et 1510<sup>LXXI.</sup>  
in Cod. Aug. T. I. p. 405. lqq.

b) In Cod. Aug. T. I. p. 411.



testas cum dignitate Ordinarii semper coniuncta est) atque Medicorum, ita quidem, ut quilibet eorum scripta ad suam Facultatem pertinentia, Rectore et reliquarum Facultatum Decanis exclusis, censeat: deinde in Philosophorum ordine illud ad singulos Professores ordinarios, qui eiusdem membra sunt, (non amplius ad solum Decanum ob multitudinem librorum, qui imprimuntur, et argumentorum varietatem) eatenus pertinet, ut horum cuiusvis iudicio id librorum genus subiliendum sit, quod ex argumenti ratione cum disciplina, quam is publice profitetur, coniunctum est, ea vero, quae vel ad certam professionem referri nequeunt, vel variis sunt argumenti, a solo amplissimi huius ordinis Decano, antequam typis excudantur, explorentur. Ceterum duo adhuc circa ipsos Censores commemorati digna imprimis videntur:

1) Potestatem scripta ius publicum tractantia et in uniusversum ea, quae statum rei publicae attingunt, solius Ordinarii in ICTORUM collegio censurae subesse. Ita, cum aliquando Professor Politices tale quid ad suum forum traxisset, decisum est, quicquid in contrarium auderetur, typographis atque librariis severo prohibitum est *Rescripto d. d. 21. Aug. a. 1510 CCXXIV.* ad academiam misso et alio *d. d. 16. Mart. anni sequentis* confirmato. Et quamvis *Rescripto d. d. 21. Septembris a. 1510 CCXXXIII.* <sup>a)</sup> censura huius generis librorum Ordinario ademta et Consilio principis sanctiori vindicata esset, ea tamen, quo liberius et diligentius studium iuris publici in hac academia tractari posset, ipsi alio *Rescripto d. d. 23. Nouembr. a. 1510 CCCLXVII.* <sup>b)</sup> restituta fuit.

2) In causis dubiis ac arduis circa censuram obuiis, si quidem scripta iuridica concernant, ad Consilium sanctius, <sup>c)</sup> de

a) In *Append.* num. XII. A.

b) *Ibid.* num. XII. B.

c) Vid. cit. *Rescript.* d. a. 1510 CCCLXVII. in *Append.* num. XII. B.

de reliquis vero ad supremum Consistorium Dresdensē, id est,  
Senatum Ecclesiasticum<sup>d)</sup> referendum esse.

## §. II.

### 2) *Modus exercendae censurae.*

Sed his de personis, a quibus censura librorum in hac literarum Vniuersitate atque ciuitate peragitur, dictis, de modo, quo ea exercenda, pauca annextere opus est.

Ante omnia igitur sciendum, censoribus in libris ac libellis imprimendis ipsis censurae causa traditis, haud licere aliquid delere, vel mutare, nisi quod aut iuribus et saluti reipublicae vel principis, aut religione, aut hominis moribus vere adversetur.<sup>a)</sup> Hinc limites officii transgressurus erit censor, qui ea, quae forte cum eius aut amici opinionibus singularibus pugnant, quacue falsa esse vel putat vel nouit, in aliam formam transferre, aut aliis, quam auctoris, verbis exprimere, non dubitauerit. Hanc enim nimiam licentiam, si forsitan aliquando contingat, satis coercuit *Rescriptum die 21. Maii a. 1515 CCCLXIV.*<sup>b)</sup> ad academiam missum. Hoc vero censoris est, ut scripta censurae eius submissa, ab initio usque ad finem una cum appendicibus et additamentis accurate perlustraret, perfectis autem cum in fronte, tum in ultima plagula suum nomen, breuiter simul imprimendi facultatis mentione adiecta, subsignet,<sup>c)</sup> ut certo appareat, publica censoris auctoritate integrum scriptum, exceptis forte singulis locis, quae ad legum

13

nor-

d) Per *Rescript d. a. 1515 CCCLXXXIII.* in *Cod. Aug. T. I. p. 413.* Aliud d. d. 8 Septembris a. 1515 CCCLXI. vide in *Append. num. XVII.*

a) *Mandatum d. a. 1515 CCCLXVII.* in *Cod. Aug. T. I. p. 417.*

b) In *Append. num. XVI.*

c) Vide *Rescriptum d. a. 1515 CCCLXIX.* in *Cod. Aug. T. I. p. 411.* et *Mandatum d. a. 1515 CCCLXVII.* p. 417.

=====

normam deleuit aut correxit, approbatum esse. Quapropter semel facta censura, auctori, censore haud annuente, aliquid mutare, demere, vel addere non licet.<sup>d)</sup> Immo ne libellos quidem antea iam impressos deniq; recudere permissum, nisi Censoris, ad cuius officium quisque libellus spectat, approbatione impetrata.<sup>e)</sup> Tandem hoc loco non emitenda est memorabilis ab hae censurae academicae necessitate immunitas, qua Senatus quoad edita, mandata, statuta, decreta, et quicquid eius nomine typis promulgandum, vi obseruantiae, transactione inter Vniversitatem literariam et Senatum Lipsiensem (Compactatis) die 30. Iunii a 1595CCXXI. §. X. initis<sup>f)</sup> expresse confirmatae, ytitur.

### §. III.

#### II) *De pristina iurisdictione Academiae in bibliopolas et typographos.*

Iurisdictionem et inspectionem in bibliopolas et typographos, saltem quoad censuram et impressionem ac suppressionem librorum noxiorum, olim penes Academiam fuisse,<sup>a)</sup> certo constat et ex variis rescriptis superioris praesertim seculi cognoscitur, e quibus exempli loco hic attulisse sufficiat illud, die 22. Aprilis a 1595CLXVII. ad Academiam et Senatum simul datum, de inspectione in huius loci librarios et typographos, ne scripta noxia et calumniis referta spargant, seruanda,

vbi

d) *Rescriptum* cir. d. a. 1595CLXIV. in *Append.* num. XVI.

e) *Rescriptum* d. a. 1595CCXL. in *Append.* num. XVII.

f) In *Append.* num. XI.

a) Id quod nemini mirum videri debet, qui nouerit, plerisque Germaniae academiis iurisdictionem in librarios et typographos his in locis commorantibus competere. *Conf. Abav. FRITSCHAI diff. de typogr. Cap. VIII. §. 2. et Diff. de bibliopol. Cap. VII. §. 1.*

vbi sequentia in primis commemoratu digna occurrunt: *Ihr, die Universitaet, wollet, so weit euch die Cognition zukommt, hierin die Gebühr verfügen.* Sed huic iuri postea renuntiavit Academia in transactionis §. antecedenti laudatae §pho IX et X. <sup>b)</sup>

#### §. IV.

##### III) *De cognitione Academiae in causis rem librariam concernientibus.*

Quamquam autem hodie academiam amplius in bibliopolas et typographos in causis ad rem librariam speciebus iurisdictionem exerceat, aliud tamen dicendum si de puniendo auctore libelli iniuriosi aut noxi, eoue, qui neglecta censura dolo malo quid imprimi curauit, quaestio oriatur. Nam cum forum priuilegiatum academicum ad quascunque causas personales, cum ciuiles, tum criminales pertineat, nullum sane est dubium, academiae de eiusmodi auctoribus, qui sunt ciues academicci, in hoc quoque causarum genere recte et optimo iure cognoscere. Id quod non solum cum claris verbis *Statutorum Academiae Cap. XXVI.* in §. 1. huius Sectionis a nobis allatis omnino conuenit, sed etiam fori vsu, cuius novissima quaedam nobis innotuerunt exempla, confirmatur.

**b)** In *Append.* num. XI.

CAP.

## CAP. III.

DE CVRA SENATVS PVBLICA CIRCA REM  
LIBRARIAM.

## §. I.

*De iure typographos iureiurando obstringendi, delicta circa  
rem librariam puniendi, et cauendi, ne libelli  
noxii spargantur.*

Sed ut ultimo capite, quid ex publica rei librariae cu-  
ra ad solum amplissimum huius urbis Senatum ita per-  
tineat, ut in eo nec principis delegacione ~~opus habent~~, nec  
Academia concurrat, dispiciamus. Hoc vero quid sit, et quo-  
vsque eius hac in re potestas extendatur, ex ipsa natura urba-  
ni magistratus optime cognosci posse arbitramur. Quicquid  
enim indoles iurisdictionis aequa ac necessitas publicae politiae  
urbanae administrationis, qua, ut mores Germaniae ac potissi-  
mum Saxoniae ferunt, huius ciuitatis Senatus omnino instru-  
ctus est, desiderat, nec ademtum expresse intelligitur, id ab  
eodem etiam in hoc causarum genere exerceri oportet. Hinc  
fit, ut Senatus iure, typographos huius ciuitatis, quippe tam-  
quam eius iurisdictioni subiectos, iureiurando typographicō  
obstringendi, postquam Academia (ut superiori capite dictum)  
sua in illos potestate se abdicavit, vtatur: id quod ex eiusdem  
formula hodie recepta<sup>a)</sup> satis apparet. Deinde ius de deli-  
ctis circa rem librariam a ciuibus, aut forensibus commissis,  
quatenus causa criminaliter tractanda aut iniuriarum denuncia-  
tio facta, cognoscendi, iisdemque poenas imponendi, Sena-  
tui

a) Formulam ipsam vide in Append. num. XVIII. quae ab antiquiori Man-  
dato a. ccccxxvii. in Cod. Aug. T. I. p. 418. praescripta paullu-  
lum differt.

tui omnino competere, dubio carerit, cum omnium delictorum, quorum nulla exceptio facta, coercitio ad magistratum ordinarium spectet. Quid vero in hoc genere exceptum, et quae circa eiusmodi delicta Commissionis sit potestas, Cap. I, §. XIV. et XIX. iam delibauimus. Quo quidem iure et si magistratus quotidie vititur, adeo, ut haud rara sint exempla, quibus illud exercetur et confirmatur, tamen non nisi duo exempla, et eorum vetustate moti, et rigore singulari, quem in puniendo magistratus tum adhibuit, duci, hic enarrare placet. Cum nempe a. CIOICCLXVII. carmen nuptiale (*Brautsuppe*) quoddam sub titulo: *Das entschlossene Schlafgemach der Vertrauten*, scriptum obscenum, sine censura typis excusum, deque hac re FELLERVS, tum Professor Poëseos, coram magistratu contestus esset, causa breuiter cognita, die 26. mensis Octobris eiusdem anni, typographus, qui istam schedam in sua officina impresserat, nomine Spörel, carceri in porta Grimmensi, eiusdem typotheta autem carceri in curia, iussu Senatus injectus est. Seuerioris adhuc coercitionis exemplum a. CIOICLXXXI. occurrit, ubi Senatus ob scriptum aliquod DAN. GRIENERI, Theologi, sine censura impressi atque distracti, IO. BENED. CARPOZOYIO, pariter Theologo, propter iniurias, quibus ibi se lacescitum conquirebatur, auxilium implorante, typographum, qui excuderat, aequa ac librarium, qui vendebat, mulcta L. florenorum affecit. Neque dubitamus, Senatui asserere facultatem ob periculum in mora subito cauendi, ne libelli famosi aut manifesto noxii in vrbe spargantur, ita tamen, ut in eiusmodi causa extra ordinem apud Senatum, tamquam magistratum politiam urbanam dirigentem, non nisi prima sit notio, vltior vero rei cognitio Commissioni relinquatur.

K

§. II.

*De potestate res bibliopolarum, nec non typographorum atque bibliopegorum collegia spectantes ordinandi.*

Perro ex cura circa politiam vrbanam, quippe Senatui omnino relicta, fluit ius ea ordinandi, quae ad rem atque conditionem bibliopolarum, qui quidem Lipsiae peculiarem societatem (*Innung*) haud constituant, nec non ad typographorum et bibliopegorum collegia pertinent, quatenus cum iure ciuitatis coniuncta sunt, adeoque causas politiae concernunt. Hinc v. c. lites inter bibliopolas, typographos et bibliopegos de finibus commercii eorum regundis ortae, vel causa peregrini, qui iure ciuitatis in hac vrbe non gaudens, officinam typographicam hic instituere, aut extra nundinas Lipsiae publicam tabernam ac mercaturam librariam exercere vellet, a Senatus decisione pendent. Sic auctoritate Senatus a. 1515CVIII. transactionem inter librarios et bibliopegos factam esse nouimus de commercio librorum ligatorum ab his aliter non exercendo, nisi ipsa exemplaria, quae postea ligata vendunt, ab illis antea sibi comparauerint.<sup>a)</sup> Nec possumus, hac oblata opportunitate, omittere mentionem actionis a typographis Lipsiensibus a. 1515CIX. coram Senatu mortae aduersus M. Conradum Bauarum, qua de grauissimis damnis sibi illatis per propriam officinam typographicam, quam is, et si ius ciuitatis in hac vrbe haud adeptus, iniuste ac contra diserta verba *Ordinationis typographorum* d. a. 1515CVI. (quam se-

ctio-

a) Haec videtur esse illa transactio, cuius mentio fit in *Rescripto d. d. 12. Jul. a. 1515CLXXVIII. in Cod. Aug. T. I. p. 413.* quo ad querelas librariorum Lipsiensium non solum expresse caatum, ne bibliopegi fines huius paeti transgrediantur; sed etiam iis, qui libros sub hasta vendunt, (*Auctionirera*) nec non illis, qui circumforaneam per aedes librorum negotiationem exercent, (*Haußveren*) aequae ac libellorum academicorum mercatoribus (*Disputation Hacudlern*) certi limites positi sunt.

ctione secunda attigimus) instituerat, in qua, cum Professor  
Poeſeos eſſet, omnia, quae censuræ submittebantur, carmina  
cudi curaret, admodum conquerti erant.

§. III.

*De iurisdictione ordinaria in causis priuatis bibliopolarum,  
typographorum, bibliopegorum,*

Ceterum per ſe patet, iurisdictionem ordinariam, cum  
ciuilem, tum criminalem, in bibliopolarum, typographorum,  
atque bibliopegorum huius vrbis causis mere priuatis, hoc eſt  
iis, quae publicum rei librariae commodum proxime ac imme-  
diatae haud tangunt, et hanc ob rationem Commissioni non  
ſubſunt, quo v. c. referas diſſidia et controuerſias librarios in-  
ter ac typographos ſuper prava et viſioſa imprefſione, aut de  
tempore promiſſo non ſeruato vel paſti legibus alia ratione  
neglectis, nec non inter auctores et bibliopolas de non ſolu-  
to ſalario, deque aliis promiſſis at non ſeruatis conditionibus,  
denique inter plures librarios de aere alieno contraſto, ad Sena-  
tum pertinere, et pro diuersa earum indole vel a Praetorio, vel,  
vbi cauſa negotiationem concernit, et reus pro mercatore cen-  
ſendus, <sup>a)</sup> a Iudicio mercatorio exerceri. Idem dicendum de  
cauſis ſimilibus bibliopolarum peregrinorum Lipsiae nundina-  
rum tempore commercium librariorum habentium. <sup>b)</sup>

K 2

§. IV.

a) Vid. *Leipziger Handels - Gerichts - Ordnung*, art. II. in *Statut. Lips.*  
pag. 34.

b) Nam mercatores etiam peregrinos, quando Lipsiae verſantur, aut per  
hanc vrbem tranſeunt, in cauſis mercatoris Iudicio mercatorio Lipsien-  
ſi ſubfelle, expreſſe declarat cit. *Handels - Ger. Ordnung* art. III.


 §. IV.

*Observationes de cura rei librariae interdum Consistorio  
Lipsiensi demandata.*

Explicatis itaque, quae de Commissionis Electoralis, Academiae atque Senatus, circa rem in hac vrbe librariam cura, et hac in re potestate dicenda visa sunt, iam differentia nostra finienda esset, nisi exempla huius curae interdum (licet rarissime) in singulis causis Consistorio Lipsiensi quodammodo extra ordinem a principe demandatae reprehendi animaduerteremus, quorum vnuum vel alterum hoc loco commemorare libet, ne forte quis ex hoc capite nos omissionis accuset. Sic occurrit nobis Consistorii Lipsiensis *Rescriptum d. d. 27. Aug. a. CICICLXXXIII.* ad Senatum missum, quo in causa singulari principis iussu illi delegata propter praefationem iniuriis aduersus D. IO. BENED. CARPOVIVM plenam sine censura typis impressam, ac libro <sup>a)</sup> publice diuulgato praefixam, praeceptum Senatui est, vt ista praefatio librariis adimeretur, et ad Consistorium mitteretur, quod postea aequa a Senatu factum esse, ex eius relatione ad Lipsiense Consistorium die 20. Septembris eiusdem anni facta, constat. Nec minus commemoratione dignum est, in famosa M. ADAMI BERNDII causa, *Rescripto principis d. d. 19. Aug. a. CICICCCXXVIII.* ne soli quidem Consistorio Lipsiensi, cuius iurisdictioni BERNDIUS, vt clericus, alioquin iam subserbat, sed vna BOERNERO et KLAWSINGIO ex Theologorum in hac literarum vniuersitate ordine, nec non WEISIO atque CARPOVIO ex sacro viris ministerio adscitis, potestatem errores in BERNDII *Methodio* obuios inuestigandi, de iis cognoscendi, ipsum auctorem summarie examinandi, deque opinionibus erroneis eum admonendi commissam fuisse.

EPILO-

a) Nempe L. DAN. GRIEBNERI *Tractat vom andern und ewigen Tode.*

---

**E P I L O G V S.**

Absolutis igitur omnibus, quae de publica circa rem  
librariam cura in vniuersum, inprimis vero de Lipsiensi in hoc  
libello, ex imbecillitate ingenii viriumque tenuitate, explicare  
atque vberius, quam hucusque factum erat, exponere conatus  
sum, reliquum est, Te, Beneuole Lector, quam maxime ro-  
gare, vt, si vel quaedam necessario addenda, aut obiter tan-  
tum commemorata, vel quaedam parum accurate dicta, aut  
minus eleganter expressa inuenias, mihi veniam dare, eaque  
non acerbe diiudicare, meque letui censura humaniter admo-  
nere velis. Quodsi feceris, de quo nullus ego dubito, ex hoc  
colligere mihi licebit, meam scriptiunculam ita comparatam  
esse, vt Tuo iudicio atque censura non plane sit indigna.  
Quod quidem maximum mihi praebebit incitamentum, vt  
maiorem, quacunque reperta alia scribendi occasione, diligen-  
tiā ac summiū studiū adhibere intendam.



---

## APPENDIX.

*Num. I.*

A.

Von Gottsgnaden Moriz Herzog zu Sachsen ic.

**L**iebenn Getrewen, Es seindt igo etliche Deutzsche Reyme in deme  
namen als hette sie ein erfarner, vnd doch vngenanter Krieghs-  
mann gemacht, welche ane Zweyffel der Römischem Koyserlichem Ma-  
hestät, verdecktig oder verdryschlich sein werdenn; Derhalbenn Be-  
geren wier, das Ihr solche Reime, in vnserer Stadt Leipzgk seyl zu  
habean nicht gestattet; Ann deme thudt Ihr vnsere genßliche meynunge.  
Datum Dresdenn den neundten Tagk des monats Mai Anno xlvi

Unserm liebenn

Getrewen dem

Rath zu Leypsigk,

M. H. z. Sachsen

B.

Von Gottsgnaden Moriz Herzog zu Sachsen ic.
